



Capita Christianismi, siue Catechismus fidei, expositus in Scholae Tubingensis paedagogio.

<https://hdl.handle.net/1874/452941>

NNO

M DXXI

CAPITA

CHRISTIANISMISIVE
Catechismus fidei, expositus
inschole Tubingensis
pedagogio.

Cum præfatione Ioannis Brentij.

TUBINGAE EX OFFICI-
na Ulrici Morhardi. Anno Do-
mini M. D. XXXVIII.

Ad æquinoctium vernum.



EGREGIO ADOLESCENTI APOL

linari Kirscher Thomas Tilianus S.

Ipsa Dei natura quidem est incognita nobis,
Peruestigari nec ratione potest.
Nam Deus immensus coelum mare cunctaq; replet.
Nec capit hunc mundi machina tota Deum.
Quo minus humanæ mentis sapientia tanta est,
Naturam ut posset cernere rite Dei:
Ille tamen Verbum cum Sacramentaq; donat.
Signa uoluntatis dat manifesta sue.
Quod nolit miseros æterna morte perire,
Sed conferre magis gaudia summa uelit,
His qui noticiam CHRISTI uerumq; timorem
Numinis atq; fidem non simulanter habent:
Quos à peccatis reuerentia numinis arcet,
Quiq; Deum uera religione colunt.
At uia quæ uera sit religionis, et ordo,
Quacq; coli iubeat se ratione Deus:
Hic docet exiguis mira breuitate libellus,
Continet et uite dogmata sancta piae.
Assiduo quem qui studio uersabit, et illum
Moribus et studijs exprimet usq; bonis:
Ille demum uere bene uiuet agetq; beate,
Et merito Christi nomina magna feret.
Hunc, quia te studium pietatis amare sciebam,
Nomina cui nomen fecit Apollineum,
Commendare breui uolui tibi carmine, nostræ
Quod foret æternum pignus amicicie.

Iohannes

IOANNES

BRENTIVS LECTORIS. D.



VM AD HANC NO-
stram Tubingensem scho-
lam sacra docendi gratia
superiori anno uenisse,
comperi studiosæ iuuentu-
ti, cum in omni optimæ
rum artium genere doctis-
sima precepta, tum præ-
cipue hanc, breuem quidem illam, sed ut eruditam, ita
egregie piam Christiane doctrine epitomen propo-
ni. Non potui igitur teneri, quo minus eam in lucem
darem, atque ad communem studiosorum utilitatem
uulgarem. Plurimum enim referre, ac reip. planè ne-
cessarium duco, ut maxime omnium ea doctrina, qua
adolescentes in scholis de religione Christianismi im-
buuntur, publice extet. Nam cum schole à maiori-
bus nostris in hoc institute sint, non solum ut iuuен-
tutem humanioribus, quas uocant, literis excolant,
et ad politicarum rerum administrationem erudi-
ant, uerum etiam ac præcipue, ut sint theologia
 $\pi\alpha\iota\delta\epsilon\tau\eta\gamma\alpha$, et explicatione Christiane doctri-
ne non tam idoneos ministros ecclesiæ preparant,
quam in uniuersum omnes literarum studiosos ad se-
cundam pietatē excitent: reip. omnino interest, eam

religionis doctrinam, que in scholis iuuentuti proponitur, notissimā ac uulgatissimam esse. Quare nō sum passus, ut hēc Christiani Catechismi formula diutius paucorū manibus teratur, aut potius opprimatur, et sibi, qui adolescentes erudiendos suscepereūt, candide et pacienter me audire uelint, admoneo eos, ut si officio suo recte defungi, ac non tam reip. utilēm, quam Deo gratam operā nauare cupiant, nihil prius ducant, q̄ ut adolescentum animos primum omnium recta de religione sentencia formare studeant, deinde etiam ipsos certa quadam ac præscripta formula cognitionis de religione, intra septa, quod aiunt, contineant. Tametsi enim, qui dant operam literis, non omnes fortassis ad publicam sacrarum literarum professionem, aut ad functionem ecclesiastici ministerij admouebuntur, omnes tamen, si non aliās, certe in baptismo suscepereunt professionem Christi, et ambiunt eam fœlicitatis hereditatem, quæ ecclie Christi diuinitus promissa est. Quid autem magis prepostorum, quid magis inuersum, q̄ adolescentes ad capessendam eam doctrinam, qua quis humana quedam cōmoda consequitur, ita urgere, ut interim nullam habeas huius doctrinæ rationem, quæ diuinā secum, et nunquam interitoram fœlicitatem affert. Ac boni quidem præceptoris officium est, adolescentibus, quamuis ad prophana literarū studia designatis, uiam demonstrare, qua bonas artes, non solum facile, sed etiam fœliciter discant. Quis autem potest esse

esse fœlix eruditionis successus, ac fortuna, aut ut non
stræ literæ loquuntur, benedictio, ubi absuerit pietas
in Deum? Spiritus sanctus pronunciat eum, qui non
audit uocem Domini Dei sui, nec obsequitur mandata
tis eius, maledictum in ciuitate et in agro, maledictum
ingredientem et egredientem, non minus certe et
eum, in philosophia, in iurisprudentia, aut in alio
artium genere maledictum intelligit, qui in ipsis absque
uerain Deum pietate, que non potest concipi nisi est do-
ctrina Verbi Dei, quam sacre proponunt literæ, uer-
satur. Atque haec nequaquam scribimus, quod sentiamus
philosophiam, alias uero genus artes, aut negligendias,
aut oscitanter tractandas esse. Iudicamus enim
cas, ut eximum donum Dei, ita non tam ad consequen-
dam ueram eruditionem, quam ad conseruandam rem per
necessarias: sed hoc demum merito damnandum est,
quod pietatis professio, perinde ac si non in uniuersum
ad omnes ex quo pertineret, ad unum tantum homini
num genus relegetur. Quid autem, amabo uos, pro-
derit, totam artium encyclopædian absoluuisse, et ado-
lescentes ad summa excellentissimarum disciplinarum
fastigia perduxisse, interim tamen neglecta, aut planè
contempta religionis doctrina, orco mancipium
educasse: Non enim sentiendum est, ueram religionis
cognitionem nobiscum nasci, et natura in nobis ado-
lescere. Habemus quidem naturales quasdam diuinis
tatis et honestatis notiones, quas oī κατηχισθε in
hoc libello doctissime explicat, sed haec tanti momentis

non sunt, ut ad consequendam veram iusticiam at
felicitatem sufficient: & natu opes calo, quod origi-
nis uocant, ita obscuratae sunt, ut nisi sacrarum lite-
rarum doctrina illustrentur et conseruentur, in hor-
rendas impietatum tenebras euanescent. Ex Deo, in-
quit scriptura, non è sanguinibus, aut uoluntate car-
nis, filij Dei nascuntur. Et fides, qua, teste Paulo, co-
ram Deo iustificamur et seruamur, ex auditu est.
Auditus autem, per Verbum Dei. Quare ad rectam
adolescentum institutionem necessarium est, ut do-
ctrina fidei doceatur, explicetur, audiatur, et perdi-
scatur. Atque si unquam, certe hoc maxime omnium
tempore ne cessitas urget, ut preceptores literarum,
adolescentiam in doctrina religionis probe et dilia-
genter instituant. Magna enim eorum hominum pars,
qui sunt natu grandiores, animis suis, propter uarias
de religione doctrinas, que hoc tempore indiscrimini-
natim sparguntur, ita turbati et disiecti sunt, ut non
dico sperare, sed ne optare quidem audeas, conscienc-
tias eorum aliquando tranquillas, et ad rectam reli-
gionis sentenciam compositas fore. Itaque, si ecclesia
ad posteros propaganda est, certe in adolescentibus
situm erit, ut hi pie erudit posteritati succurrant. Ac
cedit et hoc malum, quod in multis ecclesiis, non so-
lum ea, que erant adolescentia rudimenta ad religi-
onis cognitionem, et que abiecta impia opinione, non
mediocri utilitate conseruari potuissent, abolitas sunt,
uerum etiam ipsa publica Decalogi, Symboli Apo-
stolici,

Itolici, & orationis Dominicæ cōmemoratio ac reci-
tatio, tanquam superuacanea aut superstitionis, peni-
tus profligata sit, ac doceantur interim, nescio quæ,
Hebraicæ ueritates, nài v̄περσεων δόγματα.
Cum igitur hec doctrine pars in ecclesiis propemo-
dum exulet, præceptores literarum necessarium &
Deo gratissimum cultum facient, si eam in scholas re-
cipiant, & summa, quā possunt, diligentia conser-
uent: idque tanto maiori sollicitudine faciendum est,
quanto acrius & uehementius Satan adolescentium
saluti insidiatur. Nam cum Christus testetur, angelos
tueri adolescentes, haud obscure significat, nihil pri-
us ducere Satanam, quām ut adolescentes statim ab
ineunte etate uinculis suis irretitos contineat. Et si
hortulani, farmentis, spinis, alijs uero rebus nouas ac te-
neras arbusculas diligenter sepiunt, ne à bestijs le-
dantur, multo magis præceptoribus literarum dan-
da est opera, ut doctrina uerae pietatis teneras & ad-
huc imbecilles adolescentium mentes ita munitant, ut
aduersus assultum pessimorum affectuum, qui sunt
crudelissimæ bestiæ, tuto consistere queant. Nolim
autem adolescentes in religione ita imbui, ut initio
queuis obuia confusim eis obtrudantur. Certa for-
mula præscribenda, certa capita proponenda, ade-
oque eadem iterum atque iterum inculcanda sunt, in
quibus religionis summa contineatur. Sic enim fiet,
ut adolescentes non solum hac occasione ad sectandā
& obseruandā in alijs artibus methodon assuefiant,

sed etiam, ne amplius sint pueri, qui fluctuant, & circumferantur quo uis uento doctrinæ, quemadmodum Paulus ait. Ad quam rem censeo hunc libellum aptissimum & utilissimum esse, qui non solum præcipua Christianæ doctrinæ capita, ut breuiter, ita diserte explicat, uerum etiam quantum pietatis & honestatis è prophanis scriptis excepere queat, perspicue demonstrat. Commendo igitur eū omnibus bonarum artium professoribus, ut habeant, quo adolescentes in pietate ita erudiant, ut remittant eos domum, non dertos tantum, sed & pios ac honestos. Quo officio nō possunt quicquam Deo acceptius, nec reip. utilius, ac magis necessarium facere. Vale, è Tubinga. III. Cœlendas Februarij. Anno XXXVIII.

Perperam exarata sic emendabuntur.
Char. 7. dorso. uer. à fine 8. legetur piorū, tum priu. & à fine. 5. Interminatur enim ijs penam. Char. 11. d. uer. à fine. 3. l. ipse Deus al. C. 13. u. 19. inducatur &. C. 16. d. u. 7. l. quod pla. C. 18. u. 5. l. quasi à nexu mas nif. C. 25. d. u. 12. l. oremus. C. 26. u. 6. l. prouentum & deinde fœlicitatem, & postea pacem, & mox trans quillitatem. C. 26. d. u. 9. à fine. l. ut nemo unquam, & u. 7. à fine, remissione peccata. C. 28. u. 10. à fine l. cause mal. C. 32. u. 14. l. ne pulchrum quidem esse. C. 33. d. u. 7. l. ηρατήσθω ειρηναλώς. C. 40. u. 13. l. 5 ηραδε.

PVERILIS

DOCTRINA DE CHRK
stiana uita.



XPOSITVRI PVE
rilem doctrinā Christia= nae uitæ, primum consy= deremus, an hæc diuersa aliqua in parte sit ab ea doctrina Christianismi, que progressis ætate proponitur, sicut alia est puerilis alia uirilis ad actio= nes uitæ institutio. Quo loco sciendū, hanc doctri= nam simplicem esse & unius modi, neque aliud tra= di pueris et imperitis, aliud adultis & sapientibus. Nam quod Paulus lactis potu non cibo aliuisse Corin. 4
rinthios se dicit, non ad doctrine diuersitatem, sed illius modum & administrationē referendum. Sic enim egisse cum illis se dicit, ut ferret imbecillitas intelligentiae ipsorum. Hoc tenendum propter quo ründam nocentem opinionem, qui ab imperitis & pueris quasi mysteria & arcana quedam religio= nis Christianæ remouent, & reseruant cognitioni sapientum. Nihil enim in hac doctrina celandū

A

PVERILIS DOCTRINA

Matt. 10. neque oculendum, cum ipse Christus iubeat audiata intra parietes supra tectum proclamare. Hoc quidem est uerum, pueriles & imperitorum animos esse leuiores, q̄ut grauiſſim arum rerū & abhorrentium à ratione humana explicacionē capere facile possint, maxime si rudes sint sermonum pietatis, aut etiā quod in diuturna usurpatione superſitionum accidit, prauis opinionibus imbuti. Cum his igitur caute & pedetentim progrediendum, ut intelligentum incessus illorum tarditati accommodetur. Hæc quasi manuductionis ratio intelligentia puerilis doctrina ſive institutio, græco nomine ΧΑΤΧΙΟΜΟΣ, quo significatur, tum non obrui aures discentium, ſed quasire noua doceri, ut patiantur in illis ſonare pietatis uoces. Semper enim ordine et quadā serie fieri geriq; Deus inter ſuos omnia uoluit, quem ordinem turbari, impietatis nocentissime fuit omnibus temporibus, quibus accidit. Nihil igitur eſt in ecclesia faciendum moliendum que preponere, audacter, temere, neq; studio nouatio nū, ſed ueritatis inflammati, neque turbulentos ſed placidos atq; mansuetos Christianos eſſe couenit.

DE CHRISTIANISMO.

His expositis cōsequens eſt, ut explicemus quid Christianismus ſit. Huius doctrinā tradendā fuſcepimus. Conſtituta enim re & defiñita, certa illius poterit

poterit animo notio concipi. Christianismi autem uox a Christo est facta. Itaque intelligitur eorum sententia et studium, qui Christum sequuntur: hoc autem renatio quedam est mentis et cogitationum ac uoluntatis in persuasione salutis et uitae sempiterne, que conferatur misericordia Dei per et propter Iesum Christum. Hoc opus credimus et fatemur esse spiritus Dei, sicut scriptum est, filios Dei esse eos, qui ducentur spiritu illius, et nemo dicere potest Dominum Iesum Christum, nisi in spiritu sancto. Sic fit ut Christianus sit noua creatura Dei: nihil enim eorum omnium, que humanae nature notionibus comprehenduntur, neque uis et perspicacitas animi, neque ingenij lumen, neque doctrinae elaboratio, perficere Christianitatem possunt, sed hoc est quoddam opus internum, non foris apparens hominum oculis, neque intellectu subiens. Recte autem est dictum: Specimen in unoquoque genere de optimâ natura esse capendum. Itaque omni laude et bonitate, que in hominem cadat, absolutum aliquem hominem constitutamus, illius sapientia atque uirtus quantacunque sit, externa tamen fuerit, hoc est, patens et exposita intelligentie humanae, sed interior homo, illa noua fabricatio diuina, rationem et intellectum humanum prorsus effugit. Itaque Christus manifeste docuit, neminem intrare posse in uitam eternam, nisi regeneratum, et de ea regeneratione co-

PVERILIS DOCTRINA

piose differuit & Paulus, neq; Iudeum esse in Christianismo, neque Græcum, sed nouam creaturam. Hæc est uera & omni ratione tenenda doctrina Christianismi, & separanda longissime ab humana rebus: neq; committendum, ut cum harū quæuis speciosa honestate & pulchritudine per nocentissimum errorem illa commisceatur, sed sinceras ipsius atque castitas maxima cum cura & attentione custodienda est. Sed nunc pueri breuiter quædicta sunt, cognoscant & perdiscant.

Q VID EST CHRISTIANISMVS?

Est sentencia de misericordia & benignitate Dei, qua omnibus per Christum contingit uita æterna, renatis in fide per spiritum sanctum.

Quid Christianismus, & quod simplex doctrina illius sit diximus. Nunc qua uia ad hunc perueniri soleat ac possit, queramus. Una autem est uia, Christus. Itaque nullius consilio ac studio, non illa uitæ integritate comparatur, sed sola inuentione uiae, hoc est, Christi cognitione ad illum contendit & pertinere potest. Hoc est quod dixit diuus Paulus, fidem ex auditu esse. Promulgatio igitur Verbi Dei, & prædicatio de Iesu Christo in hanc uiam omnes conuocat. sicut ipse præcepit: Ite, prædicate Euangelium omni creature, &c. Euangelium enim græca voce

Roma.10.

Mar.16.

voce hoc preconium iucundissimum salutis & ui-
tæ nominatur, cuius ministri Apostoli, id est, legati
appellantur. Ita sit, ut Christianismi totius caput
& summa fides sic acquiratur, quemadmodum bre-
uiter comprehendendum pueris subiicitur.

VNDE FIDES COMPARATVR?

Donum est hoc eximiū Dei, quod
cōtingit hominibus per ministerium
prædicationis Apostolorum illius de
Iesu Christo.

Sed quia letum hoc nuncium esse nulli potest ni-
si qui tristis sit (quomodo enim exhilarentur iam
prius bilares?) ideo antecedit gratam illā & gau-
dij plenam prædicationem Euangelij formido &
percussio animorum, quia illi perterritur & tre-
pidant, atque tum pœnitentia priorum omnium. Itaq; Luce 4.
sic scriptū est: Venit Ioannes baptizans & dicens: Matth. 3.
Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum
cœlorum. Et rursum: Tum deinde cœpit Iesus præ- Luce 3.
dicare & dicere: Pœnitentiam agite, appropin- Matth. 4.
quauit enim regnum cœlorū. Et in concione Petri:
Resipiscite & cōuertimini &c. Cum enim hec uia
ducat ad innocentiam, abstrahat abs scelere, tum
ad uitam auerterat à morte, necesse est. Itaque sequi-
tur, ut ingressione huius odium & auersatio &
fuga scelerum atque mortis antecedat. Nam in se-

PVERILIS DOCTRINA

curitate & quiete nemo querit aliam felicitatem. Quapropter in uita ualde est res periculosa uel potius nocentissima, tranquillitas, & ocium humanæ mentis. Angi animos oportet, & solicitari aliqua re, qua liberari debeant, malumq; sentire: sic enim leuari poterunt. Ut enim letales morbi doloris sepe sensum non afferunt, ita qui sibi suo animo & propria, hoc est, humana opinione bene esse arbitratur, eos miserabili & exiciali morbo laborare existimandum. Sed cū ingens miseria humani generis & natura nostra in profundissima caligine errorum demersa sit, ideo excitandus hic intellectus cum imbecillitatium prauitatis nostræ, & animi peruersitas actionumque turpitudo proponenda cōspectui. Fallimur enim, & nos cupide decipimus cæci amore proprio. Hoc est legis officium. Nam ut Paulus dicit: per legem agnoscitur peccatum, & lex quasi pueros deducit ad Christum. Hæc pueri sic notent.

Q VID PRAEDICANT APOSTOLI Pœnitentiam & remissionem peccatorum.

Non enim est apta prædicatio Euangelij neque utilis superbis & elatis opinione propriæ iusticie ac integratatis. Nam Christus uenit uocatum peccatores ad pœnitentiam, neque extiterit aliis facile

cile error perniciosior quam hic uaniissimæ ostensionis doctrine Euangelice, & fidei Christiane, cum abest metus erga Deum, sensus ire illius, & indignationis ob peccatum, ipsius etiā peccati dolor, & mortis min.e. Scriptum enim est: Pauperes euangelizari, & spiritum contritum & cor afflictum negat David Deum despicere. Discant igitur pueri hoc loco, ante gaudium Euangeliū incedere perturbationem, & meditentur hoc dictum: Initium sapientiae timor Domini, non ut imbuantur formidine quadam hostili, & Deum ipsum refugiant atque auersentur, sed ne sperent Deo placere illos, quorum animos aut penitus non tangit aut leuiter mouet cura & respectus ipsius, quamvis ore uer sent mentionem Dei & rerum diuinarum. Nihil enim esse certius potest, non solum scriptura sancta docente, sed etiam ipsa re demonstrante, quam Deū peccato, hoc est, flagicijs & sceleribus irasci, & punire improbos. Plenē enim sunt sacre ac prophæ historie exemplis pœnarum atque suppliciorum, quibus non solum mali homines, sed ciuitates atque regna affecta fuerint. Nam & Gomoræ orum internicio & Chananaorū eradicatio, & ipsum in primis diluuium satis ostēdit, q̄ premia peccati sint, nēpe interitus. Et Græci sapientes animaduertierunt nō ferē impietatē et scelerā impunitare manere, quas sentēcia sic scriptū reliq Xenophon:

PVERILIS DOCTRINA

Multis euentis planum fieri cum in Greorum tum
barbarorum gente, nequaquam fugere numen di-
uinum, neque euadere animaduersionem illius im-
pia et scelerata facta hominum. Cum igitur pecca-
tores omnes planè damnati capite ad supplicium quo-
tidie rapiantur, quantus est stupor non percelli me-
tu pœnæ, si quem maxime innocetie respectus non
tangat. Quis autem ferat fastidium eorum, qui non
solum peccata non uitare, sed ne interdicta quidem
illorum notahabere uelint, que cum ipsa mentibus
hominum inscripta sint: nam naturalis intelligen-
tiarecta et prava dijudicat, tamen in quadam tan-
quam tabula promulgata illa semper nobis atque
affiduo aspicienda sunt, ut meditemur nocte atque
die diuinam legem. Quapropter prescriptio Mo-
saica Decalogi, ut uocatur, inculcanda est pueris, et
ab his exigendum, ut memoriæ mandare nō solum
orationem legum illarum, sed etiam sentencias ue-
lent. Capita enim illa sunt omnium, que uel non fa-
ctauel facta uel cisci grauissime Deus statuit, quo
studio eruitur de animis cognitione peccati et odi-
um turpitudinis et amor innocentie, atque ita ma-
nibus legis ad Christum deducimur, et aures pre-
paratas afferimus ad Euangelij predicationem.
Peccatum enim certe notum esse oportet, si quem
pœnitere illius debeat: cognoscitur autem per le-
gem. Inculcanda igitur, ut diximus, pueris et uul-
go legis

go legis precepta assiduo, & mine poenarum proponend e sunt, & sicut Salomon sapientissimus rex iussit, non solum uerborum seueritas, sed uerberum etiam seuicia in hac doctrina usurpanda. Quod ut ratione & quasi arte quadam fieri rectius possit, generalia capita faciendorum fugiendorumq; constitui debent, que deinceps passim disputando & explicando dilatentur, & in omnem uirtutis ac iusticie atque honestatis quasi materiam distribuantur. Huc enim pertinent omnes illi loci in quorum cunque libris atque scriptis, qui parenetici dicuntur, quibus comprehensa est cohortatio ad actionem honestatem, & castigatio ob uitia atque flagitia, que est prorsus legum illarum interpretatio, quarum quidem legum capita ediscant pueri, ut ordine subiecta sunt de Exodo. Neq; n. melius à quoq; quam ipso Deo componi potuisse, neq; quicq; quod uitandum sit non complecti illa certum est.

PRAESCRIP TIO M O S A I C A

Decalogi Exod. uicesimo.

Locutusq; est DEVS cunctos sermores hos, dicens:

Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile,

PVERILIS DOCTRINA

neq; omnem similitudinē, quæ est in
cœlo desuper, & quæ in terra deor-
sum, nec eorum quæ sunt in aquis sub
terra. Nō adorabis ea neq; coles. Qui-
a ego sum Dominus Deus tuus, for-
tis, zelotes, uisitās iniquitatem patrū
in filios, in tertiam & quartam gene-
rationem eorum qui oderūt me, & fa-
ciens misericordiā in millia his qui di-
ligūt me, & custodiūt præcepta mea.

Non assumes nomen Domini Dei
tui in uanū. Nec enim habebit inson-
tem Dominus eum, qui assumpserit
nomen Domini Dei sui frustra.

Memento ut diem sabbati sanctifi-
ces. Sex diebus operaberis, & facies o-
mnia operatua. Septimo aut die sab-
batum Domini Dei tui est. Non faci-
es omne opus in eo, tu & filius tuus,
& filia tua, seruus tuus & ancilla tua,
iumentum tuum & aduena, qui est in
tra portastuas. Sex enim diebus fecit
Deus cœlum & terram & mare, & o-
mnia quæ in eis sunt, & requieuit die
septimo. Idcirco benedixit Dominus

Deus

Deus diei sabbati, & sanctificauit eū.

Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longæuus super terram, quā Dominus Deus tuus dabit tibi.

Non occides.

Non mœchaberis.

Non furtum facies.

Non loqueris cōtra proximum tuum falsum testimonium.

Nō cōcupisces domū proximi tui.

Nec desyderabis uxorem eius, non seruum, nō ancillam, nō bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.

Hec est igitur legum oratio, atque huic præscripta autoritas non hominis sed Dei legislatoris, qui non solum in lapideas illam tabulas incidit digito suo, sed etiā in hominum animos atque corda, quod ipsum & historia innuere uidetur. Nam quid sunt saphirinæ tabule, ut perhibentur, nisi cœlestis uis mentis & intelligentiæ, quæ se ad diuinorum humanarumque rerum cognitionem aperit tanquam in duas parteis, in quarum una non leviter sed penetrante scriptura, cultus diuinus, in altera conuictus hominum inter ipsos expressus legitur. Sed ea est humana negligentia atque improbitas, ut quamuis interdum perculti cogitat-

PVERILIS DOCTRINA

tione & sensu numinis, tamen cito obliuiscantur mandata illius, & promulgationem ipsam iam nihil morentur, sed ignorantे & peruerso studio omnia prepostera atque contraria instituant & usurpent. Quod cum sit, franguntur ille tabule, & prescripta legum confunduntur, sed Deus tandem ipse reparat, & nouas profert eisdem uerbis atque sentencij notatas. Hos enim sensus nulla unquam uis ita obruere potuit, quin rursus se tandem proferrent atque ostenderent. Hoc de Mosis in tabulis quasi allegoria quedam explicata habet unus prefati, nunc ad singula capitula legum accedamus, atque primum ipsam prescriptionem diligenter consideremus. Se enim esse dicit Deum, qui illas leges ferat atque iubeat, non Mosen. Itaque non pro humanis, sed diuinis editiis haberri debent. Adiungit autem ad hanc prescriptionem autoritatis sue mentionem beneficij, ut benignum & clementem legislatorem, non saeum neque inmitem Dominum esse, iam nunc ab initio statim sciamus.

CAPVT I. DE LEGE.

Non habebis deos alienos corā me.

Nulla gens unquam ferat anque aliena fuit ab humanitate, quin & sentencia sua numen esse statueret, & religione coleret. Hoc igitur edicitur nunc, recte & sentiendum de Deo, & uera illum pietate

pietate colendum. Nemo aliter unquam orsus est
præcepta de uirtute quam hinc: Deum cole. Sed in
hoc est magna attentione opus, ne fallamur et in
sentencia de Deo et in religionis usu. Nam in hac
præcipua parte totum humanum genus miserabi-
liter, quasi in quadam profundissima caligine, sem-
per incurrit uel potius collapsum est. Quare hoc
monet lex, unum esse Deum colendum iuxta illius
uoluntatem, qua quidem in parte iam res desinit
esse nostre consyderationis et prudentiae, atque
etiam arbitrij et studij: sed audienda est uox et
sermo Dei, sicut ipse apud Ieremiam negat se pri-
scis sacrificiorum et victimarum mædata dedisse,
sed hoc iussisse ut audirent uocem suam. Hoc loco
admisetur interminatio horribilis iræ et vindictæ
diuine erga violatores ueritatis, cum sententia de
Deo, sum cultus illius. Fundamentū enim hoc est o-
mnis pietatis et iusticie, neq; fundamentū modo,
sed etiam conclusio atq; perfectio. Sed quia et re-
cte sentiri de se, et conuenienter colise Deus uult
atq; iubet, que sit ueritas sententiae, et cultus certi-
tudo, uerbo sius explicandum. Tres sunt res, que di-
uinitatem quasi constituunt, sententia hominū: fi-
des, metus, amor. Que quidē et ut in hac excellen-
ti mentione diuinitatis eximia et summa debent in-
telligi, et præcipuum ex his fides. In quæcunq; igit
tur hæc defixa et quasi absumpta à nobis fuerint, il-

PVERILIS DOCTRINA

Listribuitur iudicio nostro numen quoddā diuinitatis. Ita fit auaris Deus pecunia, libidinosis uoluptates, multis potentia uel sua uel aliorum, cum hanc formidant, illa freti sunt. Sapientia autem & cogitationes humane plurimos ad se blandissima uirtus & illustri specie abducunt. Quare ista quibus salutis & beatitudinis expectatio atque cupiditas continetur, Deus a se auerti ad illa alia uerat, idem metu interitus & miseria incutere nobis quicquam nisi iram suam non uult, dicit igitur hoc: Deo tuo liberatori soli fidem tribue, reuerentiam tribue, cultum autem impende, quemcunque ille quoque tempore tibi prescripscerit, ille ipse inquam, sermone non alieno sed suo.

CAPUT II. DE LEGE.

Non assumes nomen Domini &c.

Hoc capite iubetur confessio uerae sententie de Deo, edicitur. n. ut sancte & religiose nomen Dei usurpemus. Quapropter cū in cœtu piorum cum priuatim inter ipsos mentio quidē de his rebus, quibus ueritas diuina cōtinetur fieri debet, sed caste et cū magna cura ac attentione. Interminatur ijs pœnam, qui temere aut prepostere nomē Dei inculcarint. Primum igitur notandum, præcipi, in omni sermone de Deo uersandū cum timore & reuerentia, neq; accersendā tantam maiestatem rebus fruolis atque

atq; prophanis, multoq; minus nefaria oratione in
quinandā, sicut faciunt qui pervertunt uerā intelli-
gentiā rerum diuinarū calliditate & malicia, &
cōtaminant impuritate oris sui. Deinde cum per-
perā & temere nos uti uetat nomine Dei, plane iā
mandat recte & conuenienter uti. Quare hoc capi-
te laudes & præconia Dei & actiones gratiarū &
preces fieri iubētur, qbus ita usurpatur nomē Dei,
ut ipse Deus uult. Nam & sacrificium gratissimū
esse illi sacra docet scriptura, laudū ipsius celebrat-
ionē, & gratias agere, hoc est, confiteri beneficia
eius, tantū nos iubet, neq; rependi aliud uelle sinit,
& in miserijs atq; doloribus nostris unius opē expe-
tendā expectandamq; gratuitam quidē de miseri-
cordia illius proponit. Discent igitur pueri hoc cā-
pite præcipi, primo religionem, secundo celebra-
tionem diuinorū beneficiorum, tertio inuocationē
auxilij Dei atque benignitatis in aduersis, quarto
uetari cōtaminationem rerum diuinarum uerbis,
atq; improbab ac flagiosam illarum mentionem.

CAPVT TERTIVM.

Memento ut diē sabbati sanctifices.

Hac mentione Sabbati edicitur cultus externus
& ceremoniarū obseruatio, qbus numen diuinū ce-
lebrari in ueritate sentēcie & cōfessiōis sanctitate
recessē est. Neq; existimādū nihil pertinere ad nos

PVERILIS DOCTRINA

Iudaicum sabbatum, cum proposuerimus, naturae leges istis capitibus promulgari. Sic igitur se res habet, et omnes statuunt, uenerandum esse numen ritu aliquo et ordine cærimoniarum, ad quas per agendas statis diebus opus est, quibus ab alijs quotidianis occupationibus et negocij sferiati simus, ut sine ullo impedimento libere conuentus coetusque sacri possint haberi. Quod quidem septimus dies seruetur, aut aliqua in hoc certa prescriptio aut superstitione obseruatio proponatur, arbitrandum non est. Nam et Christus docet, necessitati et usui salutari cedere sabbati legem, et filium hominis etiam illius dominum esse affirmat, et ordinationes cærimoniarum reue lati Christo constat esse uoluntariae institutionis, non iniurabilis constitutionis, quarum tamen contaminatores et neglectores propter improbitatem et peruersiōnem ordinis atque decoris, sua petulantia grauiter peccant. Quapropter cum cærimoniarum usus legem habeat in uniuersum naturam, hoc est diuinam, modus et ratio, atque etiam tempora illius ita obseruentur, ut consensu et autoritate ecclesiæ quoque seculo et quaquam in gente consentanea uerae pietati fuerint instituta. Nam ordinis autor Deus est, non perturbationum, et superiорum diuinæ subdelegatione imperijs debent permanere inferiores, sicut sequens proxime caput docet, neque rei cienda tamen illa doctrina de semper nos sabs-

DE CHRISTIANA VITA.

9

No sabbato, hoc est, perpetua quiete et tranquillitate animi, et feriatione ab omni humana actione in sententia uerae pietatis, cum se quisque prebeat tanquam organum Deo et spiritui sancto illius, ut omnia opera perficiantur grata et placentia Deo in Christo. Utile est enim haec doctrina, et innuitur a sanctis prophetis, estque fidei erga Deum precipuum incitamentum.

DE CAERIMONIIS.

Quia uero cærimonijs, hoc est, operatione quadam et ritibus sacrorum maxime pueri et uulgus mouentur, et his temporibus de illis nocentes ac multiplices controværsie atque contentiones exoriuntur, pluribus de hoc toto genere ecclesiasticae operationum differere placuit. Ac primum, remouenda est omnis preposta atque impia persuasio de cærimonijs, eius sententiæ, quæ diuinum numen ab hominibus fingi solere diximus, neque in obseruatis salutis et uite sempiternæ spem, neque in simpliciter neglectis metum interitus et mortis ponio oportet. Hac enim impietate superiora manadata uiolantur, et Prophetæ grauissime istum placere idolorum cultum arguerunt in populo Iudaico. Secundo, ipsæ etiæ cærimoniæ, que sua operatione impia sunt, hoc est, aduersæ uolutati et uerbo Dei, penitus exterminandæ sunt, ut missæ pro defunctis,

B

PVERILIS DOCTRINA

Ex indulgentia & reliqua, in quarum celebratione
ita est inuoluta impietas, ut sciungi nequeat. Tere-
tio, qcquid est aliarū cāerimoniārū, à quibus impie-
tas sentencie remoueri potest, cum illæ postea nūc
relictæ, usus tantum profint aut noceant, de his diser-
te est disputandum, neque demolitione semel omni-
um simplicitas animorū uulgi offendenda. Nam in
tegra & pura doctrina cōseruata, reliqua omnia
charitatis & benevolentiae officijs debeantur. Ex
hoc genere illæ sunt, dierum, ciborum, uestimento-
rū discrimina, et alia quædā, de quibus litigari atq;
contendi detracta sentencia impietatis non opor-
tet. Itaque & utemur & non utemur libere sine of-
fensione: Hoc est à D. Paulo clarissime declaratū,
multis in locis epistolarum illius. Quia autem cāeri-
monie sunt ecclesiæ, hoc est cōuentus & cōetus cre-
dentī, opera quædam, ideo cum in ecclesia omnia
ordine geri debeant, disciplina hæc ecclesiastica di-
ligenter & constituenda & custodienda est, inquit
hac discriminē illud & reuera esse & apparere des-
bet, ut sacra disciplina ista cum alia quacunque in-
uita non esse confusa videatur. Itaque omnia reli-
giose administrari, & quasi in præcipuo conse-
ctu Dei in ecclesia fieri debent, sicut ex Paulus cō-
put mulieres tegere in ecclesia reueritas angelos
uoluit. Eam ob rem, cum à prioribus introductas
cāeremonias emendari atque corrigi, tum paula-
tim.

tim et cum magna moderationis cura innouari,
atque ita aliquas tolli, aliquas institui, omnibus tenui-
poribus solitum comperimus, poscente uidelicet
aliqua uel potius flagitante non leui causa. Atque
hoc est proprium munus eorum, qui in ecclesia ad
docendum et presidendum et tanquam conuen-
tus habendos uocati: præpositique sunt. nam teme-
ritate priuata in ea que constituta fuerint subuer-
tenda irrupere, est et sedicio sum erga homines et
erga Deum secleratū. Quicquid autem in huiusmodi
mutationibus et institutis tentatur, in ijs quemad-
modum uulgi et imperitorum rationem benigne habe-
ri oportet, ita in optimam partem, quicquid fecerint
ij, quorum haec curatio propria fuerit, ab omnibus
accipi debet: nam peruicacia animi refragari et
conuicia facere studio illorum, qui in ceremoniis
corrigendis uera ratione uersantur, sediciosum
atque nefarium. Hanc autem dijudicare non est impe-
riuiae neque leuitatis uulgaris. Discat igitur pueri ex
hoc precepto, cōuentus ecclesiasticos statim diebus
sancte et religiose, et ceremoniarum ritus trans-
quille et pacifice seruandos esse.

CAPVT QVARTVM:

Honora patrem tuum & matrem tuam.

Hoc est caput primum earum legum, que ad uitę et

PVERILIS DOCTRINA

morū integratam & uirtutis cultū late sunt. In se
cunda tabula, principe loco positū, & inter eas le-
ges, que prescribunt quid in hominū mutuo usu fie-
ri aut omitti debeat, diuinissimum. Itaq; & illis de
diuini numinis sentencia atque ueneratione proxim-
um. Præcipitur autem obseruatio ex honor erga
parentes, que & ipsa in humanis rebus pietas nomi-
natur, et omnes qui honestatis præcepta ediderūt,
cultui & uenerationi diuini numinis hunc parentū
subiunxere. Hoc D. Paulus præceptum commen-
dans primum esse dicit, cui promissio diuina adiun-
ctare reperiatur. Vnde colligit, ad uitę humanae felici-
tatem huius custodiam pertinere. Et in scriptura
horribilia exempla extant neglectus, atque etiam
multo magis contemptus parentum. Estq; ita natu-
ra comparatum, ut qualem se quisq; erga parentes
suos prebuit, tales erga se liberos quoque suos ex-
periatur. Ut autem parentibus, qui nobis lucis &
uite autores fuere, præcipius honor debetur, ita
qui sunt autoritate atque dignitate loco parentum,
non secus hoc eodem capite obseruandi colendiq;
præcipiuntur: horum est ordotalis: Magistratus,
ta iquam patria ipsa quam administrant imperio
suo, que nobis etiam ipso parentes dedit, his obedi-
re, hos reuereri, ab his mandata exequi placide ac
libenter quisq; debet. Hoc diuus Paulus accurate
docuit, & sediciosorum atq; Magistratus contem-
ptorum

ptorum metuenda supplicia sacra scriptura propo
nit. Atque ita est rectu parere illis, ut feratur in pri
mis ille de tragœdia uersus, quo ferendum etiam
iniquum imperium dicit. Post magistratus nume
rentur consanguinei & propinquij, in quorum
quisq; tutela uenit aut est datus, preceptores &
magistri. Post hos senectus, quæ uniuersa iuuene
tutis parens putanda, quam etate & rerum usu an
tecedit, & instruere possit. Postremo illi qui in ec
clesia prepositi, & curationibus doctrinæ & disci
plinæ ipsius prefecti sunt. Quod genus, quia quon
dam senum erat, presbyterorum nomen proprium
est adeptum, quod & in iunioribus seruatur, ut Ti
to & Timotheo. Qui cum essent prudentia & pie
tate senes, in contemptam iuuentutem illorum D.
esse Paulus uoluit. Horum autem postremo loco men
tionem feci, quod nunc disputationis de obseruatione
et obedientia erga ciuilia imperia, quibus corpora
& mores & uita externa regatur. Quorum admi
nistratio est regnum & ciuitatum, in quo nume
ro ecclesiastica potestas non est ponenda. Itaque si
illam sibi usurpant, detrahentes de autoritate eo
rum, quorum propria est, & perturbantes ordi
nationem Dei, faciunt improbe. Christus ergo ipse
grauius accusat Phariseos, qui suis legibus paren
tum reuerentiam & cultum imminuerent. Habet
igitur potestas ecclesiastica principatum minist=

PVERILIS DOCTRINA

ij in ecclesia docendi & administrandi rem ecclesiasticam, castigandi peccatores, atque etiam punienti excommunicatione contumaces in flagicijs & peccatis, & ignoscendi atque recipiendi poenitentes, que omnis tanquam censura est, non in corpora & res, sed animos & mentes hominū. Quod quidem discriminē est tenendum, quia confusione horum generum perniciose errari solet. Atque hec duabus sententijs explicantur clarissime Matthei 20. Principes gentium dominantur illarum, uos autem non sic. Et 18. Quicquid ligaueritis in terra, ligatum erit in cœlis. Nam & in terris potestia & regno atque opibus prætextu Apostolici ministerij præstare Apostolos, qui sunt potestas ecclesiastica, Christus non uult, & eorundem iurisdictionē, quantum quidem ad huīus functionis naturam pertinet, ad cœlos extendit, ubi sententia & iudicatum ab illis perficiatur. Nunc discant pueri, precipi hoc capite obedientiam, cultum, uenerationem erga omnes qui alicuius præsidentiae nomine excellant, parentes, Magistratum, magistros, consanguineos, senectutem, Ecclesiæ ministros, quibus ipse Deos alios omnes ordinatione sua subdiderit atque subiecerit.

CAPVT QVINTVM.

NOR

Non occides.

Christus ipse interpretatus est hoc caput, cum docuit, iræ & odij maledictionem continere. Et prophete, cum dolos & insidias & obtrectationes, gladios & uenena appellant, satis clare interpretantur hoc præceptum, & docent, non solum facinus homicidij, sed etiam consilia & uoluntatem prohiberi. Denique intelligendum, in omnibus his capitibus non leues neque quasi euanescentes edictiones esse, neque ad opus tantum pertinere, sed grauissime atque penitus in mentes ac uoluntates hominum incumbere, ipsasque causas faciendorum & fugiendorum complecti. Ut igitur minus est impius, qui impie cogitat de Deo, quam qui loquitur, ita cogitatum scelus & flagicium, quamvis nocet hominibus minus, Deo certe non minus displicet. Quod si etiam legibus humanis vindicantur, non solum exitus rerum, sed etiam consilia, quanto hoc uehementius facere diuinæ leges credendum, quarum lator in ipsis mentibus preciūam iurisdictionem exercet? Quapropter discendum, hoc præcepto non solum cedes uetari, sed etiam omnis generis iniurias, amarulentiam, iracundiam, odia, obtrectationes, deniq; cogitationes, dilaqtæ, & facta, quibuscunque alterius uitæ atq; capiti insidie fruantur, & periculum comparetur.

PVERILIS DOCTRINA

CAPUT SEXTVM.

Non moechareris.

Hoc capite omnis impuritas prohibetur, in uera
bis & factis. Nam cogitationum & cupiditatum
fœditates, sicut & iniuria erga ciuium res et bona,
seorsum uetantur. Commendatur autem eximia uir-
tus castitatis & continentiae. Cum lex & uiolari
alienū thorum, & inquinari corpus omni immu-
nacia prohibeat. Diuus quidem Paulus ualde studu-
it uitium hoc reddere omnibus ab ominabile, cum,
quod alijs sceleribus nō fiat, isto proprium cuiusq;
corpus polluatur. Hoc ipsum mirifice bonitatem
mentis peruerit, quia ad spurcicie & libidinum
operationem etiam animus & mens quasi agglutin-
atur. Ita prophanatur sanctissima creatura Dei,
& in lutū turpitudinis demersa suffocatur. Quan-
tum enim optimorum ingeniorum & naturarum
præstantium hac calamitate pessundatum fuit? Mi-
rifica atque incredibilis uis est huius mali in omni-
bus his corrumpendis & labefactandis, que in ho-
minum moribus & consuetudine in primis proban-
tur. Itaque uix est ullius peccati tantus pudor, quan-
tus impuritatum. Est autem hoc falso à quibusdam
dictum, nihil detrahere orationem obscœnam de-
nit e castitate, ut dixit Catullus: Castum esse decet
piu poëta ipsum, uersiculos nihil necesse est. Nam
proditur

proditur certe animi lasciuia et petulantia dictorum obscenitate ac proteruitate, et aliorum aures ac mentes contaminantur. Quare nos discamus et caste sentire, et loqui pudice, et nihil facere impure, non solum ut adulterij poene, sed etiam ut fœditatis et spurcicie supplicia uitentur, conseruenturque corda, lingua, membraque omnia corporis pura Deo nostro. Et quia omnino intelligendum, precepto hoc eradicari impuritatem uitæ, et etiam que hanc uel excitant uel adiuuant, uel comitantur, remoueri existimandū ocium, crapulam, ebrietatem, somnum, denique omnium uoluptatum indulgentiam, ut in optimarū rerum studiorumque usu et exerventionibus conseruetur integra et honesta uita nostra.

CAPVT SEPTIMVM.

Non furtum facies.

Hoc caput uetat damnū dari rebus ciuiis, et abstinere manus iubet ab ijs que alieni dominij sunt. Non autē putandum solummodo prohiberi furtum aut rapinas, sed etiam insidias et fraudes et circumventionum calliditatem. Denique furtum esse alieni rei contrectationem inuito domino, non solū ita accipiemus, ut inuito domino fiat, quod ipse iure prohibere possit, sed etiam quod non possit, deceptus uidelicet et circumscriptus uersutia altere

PVERILIS DOCTRINA

rius. Ita prauitates iste uulgaris prudentie planè
damnantur, constante ex manente hoc in omni ui-
te consuetudine: Quod tibi non uis fieri, alteri ne
feceris. Nemo autem se uult certe seduci, falli, aut
imponisibi, ne dum noceri quidem, eripi sua
pertauit, uel se ignorantे furto subduci.

C A P V T O C T A V V M.

Non loqueris falsum testimonium con-
tra proximum tuum.

Vetat lex uanitatem, ex iubet ut oratio cum cor
de consentiat, ne quid fingatur animo, quod lingua
interprete proferatur ad alterius damnum et per
niciem. Dicitque planè quod Salomon: Qui loqui-
tur quod sentit iustus est, qui autem mentitur testis
falsus est. Videre autem de hoc capite est, quām lon-
ge à sua integritate corrupta natura absit. Quis
enim nunc, nō dico ex uulgo, sed præcipuorum ho-
minum, non in hoc summam prudentiam constitu-
it, si simulentur et disimulentur omnia, nihil can-
dide, nihil aperte, sed omnia uersute atque calli-
de dicantur et fiant? Vnde operam dabimus, ut
quām longissime absimus, studebimusque ueritati,
candori, simplicitati, neminem ledemus, neque si-
dem iurati iniuratiue fallemus, nihil comminiscē-
mur mali nocentisque consilij aduersus alios, sem-
per huius memores: Malum consilium consultori
peñimum

peſſimum eſt.

CAPVT IX. ET X.

Non concupisces domū proximitus.
Et non desiderabis uxorem eius, nec
seruum, nec ancillam, non bouem, nō
asinum, nec omnia quæ illius sunt,

Nunc manifeſte lex damañat cupiditates, neque
ſolum manus coerget, ſed etiam uoluntatem animi
repremit. Diuus Paulus quidem declarat & ipſe,
damañari concupiſcentias hac parte legis, neque
ſunt parum frequentes Prophet.e in ſimilibus inter-
pretationibus. Atque hæc eſt illa prauitas cordis,
quam lex damañat, deſyderij & appetitus ſcelera-
ti atque flagicioſi, eaque potiſſimum uel potius ſem-
per erumpit in damañ & perniciem aliorum. Fal-
ſo autem dicitur, cogitationes eſſe liberas, neque in
iudicium uenire: Humanam enim effugere cogni-
tionem illæ quidem poterunt, ſed diuina ſentencia
profecto in malicia condennantur. Itaque Christus
ſic pronunciat: Qui mulierem cupide aſpexerit,
iam uiciauit illam animo ſuo: Quin etiā ueteres a-
nnium gentiū ſapiētes ita ſenſerunt, contaminari
ſcelere cogitationū animos. Vnde hoç eſt Ciceroni
anū: Malim mori millies, q̄ ſemel illiusmodi quicq̄
ogitare, quid ſi tu uelis, inquis, age, quis eſt cui

PVERILIS DOCTRINA

uelle non liceat , sed ego hoc ipsum uelle miserius esse duco, quām in crucem tolli, una res est eo misericordia, adipisci quod ita uolueris.

DE EVANGELIO.

Exposita lege nunc recte atque ordine uide mur facturi , si ad Euangelij doctrinam accesserimus : nam in hoc est promissio gratiae remissionis peccatorum , quæ contingit poenitentibus & credētibus Verbo Dei , quia Paulus docet , à lege peccatum patefieri & inualescere , non quòd lex natura sua peccatum efficiat , sed quòd proferat & ostendat factum . Cognoscendum igitur est Verbum Dei , de quo salutem consequi possimus extra legem , quandoquidem neque satisfacere exactioni illius humanæ vires possunt , & incredibilis est remissio , uel potius negligentia omnium in colenda uirtute . Quomodo autem fiat , ut in legis actionibus salus & uita sempiterna seu iusticia non inueniatur , & illæ tamen necessariæ sint . Deoque placeant , à multis uarie est disputatum , neq; uidetur hoc loco inculcandum . Hoc satis esse nobis potest , quòd Verbum Dei , ipse Deus , filius Dei , interpres uoluntatis & consilij paterni , legem compleuerit atque concluserit , succurrens miseriæ & infirmitati hominum . Itaque hoc in primis audiamus , ut uox diuinæ iubet : Hic est filius meus dilectus , hunc audite .

Quod

Quod quidem Verbum neq; nouum putandum, neque tum denique natum esse, cum in carne, hoc est, assumpta natura humana, apparuit, sed omnibus seculis resonasse in auribus fidelium. Relinquitur ergo haec summa pietatis erga Deum, ut credamus in filium ipsius, & sequamur sectam, ut ita dicam, huius in uite nouitate & innocentia, parentes legi amore & cupiditate uirtutis, & per ipsum satisfacientes perfidem. Hoc qui faciunt, credentes & fideles appellantur, quia huc honorem Deo habent, ut noua quadam sententia animi induiti, nihil cogitent aliud, quam quid ille loquatur, & fidem habent uerbis eius, & complectantur quem misit Iesum Christum. Quorum omnium à ueteribus sanctis patribus capita propter doctrinæ certitudinem proposita sunt, & quæ symboli Apostolici nomine vocantur ad hunc modum professionis.

CREDO in Deum unum, ingenitū, Deū patrē omnipotentē, creatorē cœli & terræ, & omnium tam apparentium quam non apparentium.

CREDO in unum Dominū Iesum Christum, filium unigenitum Dei patris, Deum, per quē omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis,

PVERILIS DOCTRINA.

& carnē induit, natus ex uirgine Ma-
ria, conceptus de spirītu sancto, uere
Deus & homo, excruciatuſ & damna-
tuſ à Pontio Pilato, mortuus, sepul-
tusq; ad inferos descendit, & resurre-
xit uiuus die tertia. Et ascendit ad cœ-
los, sedetq; ad dexteram Dei patris o-
mnipotentis, atque inde uenturū est
ad iudicium uiuorum & mortuorum.

C R E D O in sanctum spirītum, pro-
cedentem de patre & filio, Deum eū
Deo, paracletum omnium credentiuſ,
autorem donorum spiritualium & cō-
cordiæ ecclesiasticæ. Credo etiam unā
esse catholicā Christianam ecclesiam,
& remitti peccata in terris, com-
munitatem sanctorum, re-
surrectionem mortuo-
rum, & post hanc
uitam sem-
piter-
nitatem.

DE SACRAMENTIS.

Sequitur doctrina earum rerum, quibus fides

& cognitio Christi & salutis promissio, denique misericordia & benignitas ac uoluntas Dei erga nos cū declaratur atq; proponitur, tū incitatur & cōfirmatur ac celebratur professione nostra. Itaq;
& ipsi in his libenter acquiescimus, & fidem nostram manifeste confitemur. Hęc necesse est, cum tantum ualere deberent, fuisse coniuncta & implicata Verbo diuino. Hoc enim pīj tantummodo audiunt, quod loquitur Deus. Quare non quatenus ipsa patent tantum aspicienda sunt, sed multo magis Verbum Dei, quo sustinentur, est contemplandum. Sacra menta uocarunt, quod essent nequaquam prophana signa quedam, sed sacra eorum quę paulo ante cōmemorauimus. Quod uerbum Latinis iuramentum cum attestatione sacrorum significat, frequentatum in re militari: Gr̄cos mysteria nominasse comperimus, quia illorum maxima uis latet, & fide inualescit. Sunt autem, ut nunc libet DOCENDI CAVSA distinguere, triplicia: Publica, que in cōtibus & conuentibus publicis aguntur: Baptismus, absolutio, cōena Dominica siue Eucharistia. Priuata, que pertinent ad singulos, ea est uno nomine quę uocatio dicitur, sed patet latius, in magistratu, matrimonio, conditionibus, item crux seu afflictio, dilectio siue bona opera, seu actiones uirtutis. Communia publice usurpantur & quasi priuatim, confessio, laetitia

PVERILIS DOCTRINA

des ex hymni, oratio siue preces. Hæc omnia extera
na opera sunt, sed habent inseparabile Verbū Dei,
de misericordia ac benevolentia illius, et salute fi-
delium. Quare iam non magis prophana sed sacra
haberi debent, deq; his singillatim nunc dicemus.

DE BAPTISMO.

Sacramentis ad istum modū, quo planè intelligi
tenerique cupimus, docendi causa distinctis, dice-
mus nunc de singulis copiosius, ac primum de ba-
ptismo. Est igitur Baptismus sanctificatus potissi-
mū institutione & uerbo Christi: Euntes docete o-
mnes gentes, baptizantes eas in nomine patris &
filij & spiritus sancti. Et hoc dicto: Qui crediderit
& baptizatus fuerit, saluus erit. Item hoc Ioān. 3.
Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto,
non potest introire in regnum Dei. Quò referen-
dum & id quod dicitur ad Titum tertio: Secundum
misericordiam suam saluos nos fecit, per lauacriū
regenerationis & renouationis. Sentiendum iga-
tur, sanctam esse aquam baptismi, longeque aliam,
quam de puteo aut preterfluenti amne hauriatur,
conditam Verbo Dei, quo illa ad usum suum offer-
etur, neque est magis simplex & mera aqua, sed cō-
signata Verbo Dei, quod sancta & diuinam illam
reddidit. Baptizamur autem, ut Paulus inquit, in
morte Christi Iesu, quod idem est atque illud, quo
dicimus.

dicimur regenerari baptismō. Innouamur enim ad spiritualem uitam de carnali, hoc est, nouos & ignoratos humāe naturae sensus induimus iustificatiōnis. De his testimonijs uidemus, non proponi nobis Sacra menta, tanquam ociosa signa aut allegorias, sed efficacia & potentia per Verbum Dei: esseque prophanos & leues quorundam de his sermones, ut perniciosos & impios, nequaquā audiendos. Est q̄s baptismus publici in ecclesia ministerij, neque debet priuatim sine necessitate usurpari, propterea quod commissa est illius administratio Apostolis, qui fuerunt publicae personae, designatae ad ministerium Ecclesie. Sed necessitate hec conceditur omnibus. Ius enim & potestas communis est. Certorum autem cōmissio, ordinis, qui paret necessitati.

Q VID E ST BAPTISMVS?

Est aqua sancta, propter Verbum Dei peculiare, abluens per Christum sordes peccati & carnis, & efficiens nitorem iusticie ac spiritus.

D E A B S O L V T I O N E.

Et absolutio est Sacramentum publicum, id est, Ecclesiastici ministerij, seu cærimonia noui testamenti in ecclesia. Huius uerbū est: Quorumcunq; remiseritis peccata, his remittuntur &c. Ioan. 20.

PVERILIS DOCTRINA

Quanquam autem omnia sacramentare remissionem peccatorum complectuntur, tamen hoc proprie & quasi definite omnes & singulos ab omnibus & singularis liberat, non hominis potestate autoritatē, sed Verbo Dei peculiariter ad hoc sibi applicato, pacatam & quietam reddens conscientiam: & non solum generaliter & in cōmuni, sed priuatim & speciatim referans regnum Dei, cum audit is, qui se premi peccatis & sentit & confitetur, uocem diuinam: Remittuntur tibi peccata tua &c. de ore ministri pronunciantis, qui ad hoc in ecclesia constitutus est, & claves, id est, ius siue commissionem hanc accepit. Ad absolutionem aut̄ requiritur absolendorum confessio, quam nunc, non ut illam superstitionem & carnificem, sed hanc piam & conscientię afflita perfugium, introducere nos existimandum, cum sic dicitur: Deus propicius esto mihi peccatori. Item: Ecce dimidium meorū bonorū do pauperibus, & fraudata restituo. Estq; hoc salutare medium uere p̄enitentium & laborantium animorum, de quo nō potest uerbis pro dignitate dici, sed sensu & experientia cognoscendum est. Res autem sic se habet:

Q Y I D E S T A B S O L V T I O?

Est cōmemoratio Verbi Dei, quo annunciatur per Christū confitentes

bue

bus remissio peccatorum suorum au-
toritate ecclesiastica.

Atque hoc sit generaliter, ut quotiescumq; Euā
geliū prædicatur, & specialiter, cū singulis hæc ab
solutio applicatur, uel etiam, cū quasi annexu ma-
nifestorum peccatorum singuli pœnitentes soluunt
ture ecclesiastico iure.

DE EUCHARISTIA.

Verbum huius Sacramentī: HOC
EST corpus meum. HIC EST sanguis
meus. Institutio: HOC quotiescumq;
feceritis, facietis in memoriam mei.

Iubet enim certe fieri, cum legem hanc dat, quæ
fieri debeat, memoriæ suæ. Hoc publicū est, ut Pau-
lus ait, ubi conueneritis iam non oportebit uos man-^{1. Cor. 11.}
ducare coenam Dominicam. Ergo ordine & debite
congregati manducare debent: sed necessitatis ca-
sus etiam hic excipiendus, ut semper. Hoc de ritu
primæ institutionis. Coena Dominicæ uocatur &
quæ celebratur in frequëtia Ecclesiastica, orvætic,
& quoniam precipuum est signum redemptionis,
pro qua infinitas & perpetuas gratias agere debe-
mus Deo per Christum, iuxæcœlæ uocatur. Unde
& sacrificiū dixerit ueteres patres, sencientes illud,
quod David nominat laudis, id est, confessionem

PVERILIS DOCTRINA

& gratiarum actionem pro inestimabilibus beneficij diuinis, gratiae & uitae sempiterne & communicationis corporis Christi. De hoc omnibus temporibus, qui non modo uerbis, sed etiam re ipsa absurditates inueherent, inuenti sunt. Contra quos retinendum est Verbum Dei, & illius simplici intellectu stabilienda sententia animi in fide. Dicit enim Panem esse corpus suum, & poculum sanguinem, is per quem omnia sunt facta, Christus, Verbum Patris. Ergo sine ulteriore percontatione credemus esse ita, ut dicitur. Non enim oportet hanc licentiae fenestrarum aperiri ingenio & rationi humanae, ut quasi inquirat sciscitatione sua in Verbum Dei. Scriptum enim est: Beati qui non uiderunt & credunt. Persuadeant igitur sibi pueri, & teneant auctiores, uerum esse quod Christus dicat, neque detorqueant ad preconceptam opinionem uerba illius, artificios afiguratione, à qua calliditate nihil usquam possit in tota scriptura praegeniosis & acutis hominibus cōsistere. Itaq; q̄ interrogati fuerint, quid de hoc sacramento didicerint, respondeant, sacramentum cœne Domini esse salutarem usum & perceptionem corporis & sanguinis Christi, non ut signum modo proditi corporis & effusi sanguinis pro nobis, sed re ipsa & facto hoc cōmunicationem utriusque ad salutem & remissionem peccatorum creditum, condemnationem autem & interitum.

interitum infidelium.

DE SACRAMENTIS PRIVATIS.

Sequitur, ut de ijs sacramentis dicamus, quæ non attributa sunt ministerio Apostolico, neque ceremoniæ institutæ in ecclesia, que ex priuata propterea nominamus, de quibus uocationem generaliter intelligimus, id uitæ genus, munus, opus, ad quod diuinitus quisque ducitur ex accersitur. Quibus uerbis iam non uox ex manus Dei, quæ peculiariter sentiatur, ut in Paulo accidit, ex ante in Iacob, accipienda est, sed omne uerbum ex ordinatio illius. Quicquid igitur hæc habet in uita, illud quisque confidenter debet suscipere, gerere, facere, neq; leuitatem sua facile inde, quo rite atque debite accessit, resiliere ex fluctuare in uita. Sentitur autem hæc ordinatione maxime ab unoquoq; cum animaduertit, ad quod uitæ genus potissimum feratur. Hæ enim impulsiones diuine putandæ. Obsequendum igitur, ne si quid impedit atque obstet. Sed illud genus uitæ, in quod sumus ingressuri, omnino tale esse oportet, quod sciamus Deo probari, de quo nisi per Verbum illius non poterimus certiores reddi. Ergo etiam utilissimum opusculum, si hoc habeat ad se decuinctum, sacramentum recte dici potest. D. Paulus itaque si pertinaciter unumquenq; oportere suam conditionem tueri censet in Christianismo, ut etiam ser-

PVERILIS DOCTRINA

uis libertas nō affectandas sit. Placent igitur ex seru-
pi Deo, placent omnes qui fideliter laborant &
exercent opificia sua, denique omnium artium cul-
tura comparata ad usum uitæ Deo placet, autori
& confirmatori coniunctionis humane, id est, offi-
ciorum & charitatis mutue. Quinetiam illi, qui
ita defatigantur, benedictionem quoque audiunt:
Labores manuum tuarum qui manducabis, beatus
es & bene tibi erit &c. Sed inter uitæ uaria gene-
ra duo maxime eminent & conspicuntur: Magis-
tratus & matrimonij.

DE MAGISTRATV ET Matrimonio.

Magistratus est ordinata diuinitus potestas ad
improbitatem coercendam, & ornandam honesta-
tem. Hec etiam diuinitatis appellationem habet in
sacra scriptura, commendationem autem eximi-
am plurimis in locis, ut præcipue hoc: Omnis ani-
ma potestatibus subiicitur. Qui igitur huic aduer-
satur, ipsi Deo aduersatur, cuius est in terris uica-
ria, de quare ex supradictum est.

Matrimonium autem commendatur à D. Pau-
lo propter necessitatem huius uitæ, qui sic ornat ge-
nus hoc uitæ, quod contemptissimum uidetur, ut in
eo doceat

eo doceat secretum & arcanum quoddam contineri sanctissimarum nuptiarum Christi & ecclesiae. Quare minime prophaniū esse quisq; putare debet, atque ita, unoquoq; simpliciter ambulante & fideliter seruiente Deo in sua uocatione, quicquid acciderit ferendū. Necesse n. est exaudiri credentes, qui cum petant liberari se à malo, nihil malisci licet illis offerri potest. Sunt igitur bona, pauperes, morbi, exilium, carcer, cruciatus? Pīs quidem & credentibus mala non sunt, in quibus etiā peccata ipsa & mors perdunt uim suā & retunduntur: Nam Christus, qui illaferendo effecit ne maledicta essent, factus pro nobis maledictum, is mortem & peccata sustulit. Hec uita, cui insuaue aliquid accedit, crux nominatur in scriptura, que iubetur portari à Christo, dum se omnes sequi iubet cum crucibus. Sanctus etiam Paulus sic docet, nos futuros particeps glorie cum Christo, si afflictionum prius fuerimus. Itaque contraria uoluntati humanae non ab irato Deo immitti nobis putabimus, sed placere hoc illi, ut in similitudine filij ipsius uersemur in terris, tendentes ad uitam sempiternam. Videtis pueri, uocationem, hoc est, genus & statum uitae cuiq; sue in fide tuendū & custodiendum, neq; leuitati mutationum indulgendū. Pacientiam etiam in hoc prestandā, & ferenda aduersa omnia, confirmato animo Verbo Dei, quo hec que mala uidetur.

P VERILIS DOCTRINA

in credentibus bona etiam fiunt. Præcipue autem colendos magistratus et potestatem. Matrimonium autem uenerabile habendum.

DE BONIS OPERIBVS.

Bona opera ea nunc uocamus, que ueteres sapientes actiones uirtutis sive officia: eadem dicuntur etiam fructus iusticie. Eminent autem inter hec et potissimum conspicuntur charitatis et eleemosynes opera, que sunt secundum sapientum hominum distinctionem iusticie et liberalitatis. Hec non solum lege diuina, hoc est, naturali iudicio facienda proponuntur, sed habent etiam in doctrina Euangelia singularia testimonia laudis, et in uniuersum promissionis uerbum multiplex. Reddet enim, dicit scriptura, unicuique secundum opera sua. Et: Bene si feceris, nonne recipies? Et: Qui bona ergo gerunt, ibunt in uitam eternam. Item: Quod restat facite eleemosynam et c. Quare statuendum est tenendum, omnino hec fieri oportere, et propter Verbum Dei sanctum esse uitam eorum, qui hec exercant, non quod hec ipsa iusticiam et uitam semper eternam conficiant et acquirant, sed quia priorum et iustorum hec est uitainterris, ideoque fructus uocantur iusticie, iuxta hoc: Bona arbor fert fructus bonos. Neque nos iam magis de merito dispicare oportet; constat enim remitti peccata, et conferri

ferri spiritum sanctum, ac renouari mentes, misericordia diuina gratuito, non aliquo promerito nostro, iuxta hoc: Gratia salutis estis, non ex operibus. Deinde uero sanctificata bona opera Verbo Dei, ex huius uero efficacia meritum suum habent et mercede, ut scriptura docet: Gaudete, inquit, quia merces uestra magna est in coelis. Ut igitur, cum Paulus ait, saluari mulieres per puerperia, addit, si remanserint in fide: sic cum omnem bonitatem bonis operibus Verbum Dei conciliat, quo adduntur preclarissimae promissiones illis, facile apparet, omnia merita et mercedes atque praemia horum ad pios et fideles pertinere. Neque est hec disputatio Stoica, de duplicitibus officijs, sed est rerum diuinarum, que non nisi a credentibus percipiuntur, suntque alijs aut offensioni aut risui. Sciant igitur pueri, Deum et exigere honestas actiones, in primisque charitatis atque amoris mutui officia a suis, et hec opera ornasse Verbo suo, atque locupletasse pulcherrimis promissionibus, esseque in piis eximia hec sanctificata Verbo Dei, ut credentes colere ea et exercere necesse sit.

DE SACRAMENTIS COMMUNIBUS, ET PRIMUM DE CONFESSIONE.

Supereft ut de communib; sacramentis dicamus,
sic enim fecimus, proposita docendi gratia diuina

PVERILIS DOCTRINA

ßione nostra, ea, quæ et pro se quisque et publice in
coetibus Ecclesiasticis cum alijs quasi solenniter us-
surparet, ut confessio. Nam et confessionis ritus si-
ue cærmonia publica est, cui illa absolutio imper-
titur, de qua paulo ante diximus, et semper cum
peccata suatum in fide gratia pro remissis illis con-
fiteri Deo fideles oportet. Confitentibus enim con-
donantur delicta, si accesserit fides in Christum, iux-
ta hoc: Duxi, confitebor aduersum me iniustiam
meam Domino, et tu remisisti inpietatem peccati
mei. Non autem potest esse poenitentia in superbia
et opinione iusticie propriæ. Itaque et Ioannes ba-
ptizat confitentes peccata. Atque haec est illa con-
solatio in tota uita, redditus in uiuam per poenitentiā:
nam Christus sic dicit: Quicunque ad me uenerit,
cum non proijcam, et inuitat peccatores ad poen-
tentiam pulcherrimis similitudinibus. Luc. 18. Psal-
mi etiam Davidici ubique confessionibus referti
sunt. Discant igitur pueri, remitti agnoscētibus,
hoc est, confitentibus peccata sua bonitate diuina,
et poenitentia fractos animos sanari benignitate
misericordis Dei per Christum, ut ad illius gratia-
m libenter configere assūescant.

DE HYMNIS.

Hece stilla exultatio animorum erga Deum, cu-
se gestiunt coram illo effundere, in celebratione
bonitatis

bonitatis, potentiae, maiestatis illius. In hac se totos dies consumere David gloriatur: Septies in die laudes cecini; omnibusque temporibus in coetibus fidelium solennia tempora atque stata fuere, quibus laudibus et cantu celebraretur Deus. Graeca uoce θυμοι nominantur et Ιχλαιοι. Sed et oretam tandem loquente, omni tempore locoque accinere illas pri non desinunt, laudantes Deum semper quidem corde, frequenter tamen etiam uoce sua. Hoc fieri iubet Paulus his uerbis: Verbum Christi habitet in uobis abundantter, in omni sapientia, docentibus et commonentibus uosmetipso in Psalmis et canticis spiritualibus, in gratia, cantantibus in cordibus uestris Domino. Et David: Laudate Dominum omnes gentes et c. Exempla autem non solum humana laudationis diuinæ ubique proponuntur, ut apud Lucam eximum Zacharie, et Davidicu in Psalmis, sed etiam Angelica. Quapropter pulcherrima hec et Deo gratissima ceremonia cupide est usurpanda, et canende semper laudes coelesti Patri per Christum, qui cum illo uiuit et regnat una cum sancto spiritu in secula seculorum, Amen.

DE ORATIONE.

Oratio siue precatio habet et mandata et hortationes et promissiones singulares: quare debet omnibus fidelibus huius usus esse et gratissimus

PVERILIS DOCTRINA

Et frequentissimus. Est autem publica oratio, que in conuentu ecclesiastico celebratur, ut Paulus instituit in 1. ad Timo. cap. 2. estq; hæc inter pulcher rimas ceremonias una precipua, quam retineri diligenterque custodiri oportebat: sed et in via, in domo, in cubilibus, omni loco atque tempore p̄ij libenter orant, qui hoc audierint Verbum Dei et credant: Quodcumque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam. Et: Petite et accipietis, pulsate et aperietur vobis et multa similia. Est autem oratio imploratio opis diuinae, confitente ore persuasione de bonitate suam, secundum quam laborantes et perturbati animis libenter confugimus ad illum, ita cupidi et appetentes auxiliij diuini, ut ceruus agitatus aquarum, quemadmodū in Psalmo legitur, ut non sint haec uerba in ore nascentia, et soni sine mente, quā orationem Christus non probat, qui et ipse exemplum precum proposuit, quod meritio debet omnibus esse commendatissimum: à pueris autē edisci et cognosci, et sepe recitari, quod deinceps distincte recitabimus.

M A T T H . C A P . V I . C V M M O^{dum}
dum orandi docuisset Christus discipulos suos, proponit etiam formulam hanc:

Pater noster qui es in cœlis, sanctu^esto

esto nomen tuū. Veniat regnum tu-
um: Fiat uoluntas tua in terra ita ut in
cœlo. Panem nostrum quotidianum
da nobis hodie. Et dimitte nobis debi-
ta nostra, quomodo & nos dimitti-
mus debitoribus nostris. Et ne adigas
nos ad temptationē, sed eripe de malo.
Tuum est enim regnum & potentia
& gloria in secula seculorum Amen.

Hæc est illa diuina forma precum & orationis
Christianæ, quam quo certius perspicere atque in-
telligere possumus, partiemur in illas septem peti-
tiones, in quas ab omnibus, qui interpretantur, dia-
uidi solet, prius tamen de exordio pauca dicemus.

Pater noster qui es in cœlis.

Natura ita est comparatū, ut respondeat animo
oratio: itaque quales illorū motus sunt, talis est hu-
ius quodammodo species. Vnde cogitationū super-
barum oratio elata, cupidarum gestiens est, metu-
entium humilis, mansuetarum lenis, iratarum fe-
rox, supplicum blanda. De hac animaduersione
prudentes homines præcepta quædam collegerunt
exordiorum, quomodo auditoris benevolentia co-
ciliaretur initio dicentibus. Ad hoc genus pertinet
omnes compellationes prestantiæ, uirtutis, magni-
itudinis, officij, quas in petendo blandiuscule effero

PVERILIS DOCTRINA

riopertet. Vt:

O qui res hominumque Deumque
Aeternis regis imperijs &c. Et:
O pater, ô hominum diuumq; æterna potestas.
Ita igitur & fideles, cōfugientes ad opem diuinam
petitionibus suis, quasi prefantur hanc compellati
onem: O cœlestis pater. Sicut enim ab uno in signifi
catione amoris dicitur: Mi pater, ita à pluribus: No
ster pater. Et additur epitheton maiestatis atq; ex
cellentiæ, scilicet, Cœlestis. Quæ cum enunciamus,
non tanquā dictata cōmemorare solummodo, sed
de sensu animi promere debemus, qui fuerit &
amoris & potentiae diuinæ, persuasum nobis ut sit,
& uelle Deum libenter, & posse uehementer face
re quæ petamus, absq; quorum utrolibet si esset, fru
stra peteremus.

Sanctum esto nomen tuum.

Principium huius orationis summa quedam est
præcepti primi, exposita ad Christianum modum,
hoc est, cum interpretatione misericordiæ & amo
ris diuini. Habemus igitur Deum, & eum patrem,
hoc est, benignum & mansuetum Deum. Quis et
go iam aut requiret eum ad quem confugiat? aut ad
illum cōfiderenter accedere dubitat? qui iubet, hor
tatur, inuitat, offert suam clementiam & bonitatē
desyderantibus. Tales autem, ut germani filij, ante
omnia

omnia scilicet laborant atq; curant de honore &
fama patris sui, qua & ipsi gaudere possint. Orant
igitur: Sanctum est o nomen tuum, hoc est, impollu-
tum, & ab omni de honestamento remotum. Potest
igitur tantæ maiestatis atis nomē pollui, aut gloria qua
si obfuscari? Minime. Nostamē oramus ut ea fiant,
quibus uoluntas hominū in terris glorificandi Dei
declaretur, & ut horribilia peccata nō solum pro-
positi, sed etiam actionum impietatis deleantur.
Hoc intellecto, repetenda erunt ea, quæ sunt dictæ
de non temere usurpando nomen Dei in secundo
præcepto. Illò enim referenda hæc petitio, ut memi-
nerimus, nomen Dei pollui, si non prædicetur Ver-
bum Dei, si impia doceantur, si sceleratis illud in
deierationibus siue execrationibus usurpetur, si cō-
tempta doctrina fidei ex ueritatis in impietate ui-
uatur, si non habeatur fides Verbo Dei, si non con-
fiteamur ueritatem Verbi Dei, si cum patrem illum
appellemus, nō annisi fuerimus, ut à nobis filiorum
charitas & obseruantia illi appellationi responde-
at, si non oremus, inuocemus auxilium Dei, laude-
mus Deum, celebremus beneficia illius. Ita ora-
tur, ut quamuis perse semper sanctum in-
uolatumque nomen Dei sit, tamen
etiam apud nos & inter homi-
nes sanctum & glorio-
sum habeatur.

PVERILIS DOCTRINA

Veniat regnum tuum.

In Christi & Apostolorum concionibus multum frequentatur annuntiatio regni Dei, ut: Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum Dei. Quod primum quidem accipiebatur, regnum quodam futurum externum in mundo, sed Christus ubique diligenter interpretatus est, et postea Apostoli docuerunt, regnum Dei non esse caducum, aut desitum aliquando regnum, hoc est, non terrenum, sed cœlestis. Omnibus igitur modis abducens disunt fideles ab opinione & contemplatione rerum praesentium, et huius uitæ amore atque cultu, quasi ultimo & finali, sed hic se scient uiuere tanq; hospites & externos, non in regno Domini sui, sed apud alienos, à quibus nihil ipsis boni sperandum, respicientque semper ad illum Dominum suum, qui sedet ad dexteram Patris. Hoc igitur oramus nunc: Primo, esse nos atque reperiiri in regno & sub ditione Dei: secundo, aduenire illud tempus, quo totius uniuersitatis imperium capessat Dominus noster. Illud fit, cum in nobis est iusticia, pax, gaudium sancti spiritus, que, ut iam notum esse debet, non possunt nisi per fidem contingere. Hoc est futurum in resurrectione, cum aderit Christus iudeo uiuentium & mortuorum. Discendum igitur, ut nunc statim abducamus oculos & sensus, atque cor & mentem ab omnibus his, quæ in terris uel delectabilia

lectabilia sunt, uel magni penduntur: nihil. n. quicquam
illorū ad nos pertinet. Et quoties hæc uerba profere
mus, intelligamus nos petere à Deo & fidem atque
spiritum sanctum, quo in Dei regnum ascribamur,
& liberationem de hac misera uita, & gloriosum
optare aduentum iudicis Christi.

Fiat uoluntas tua in terra ita ut in
cœlo.

Oramus, ut quod Deus uult, quodque sit in cœlo;
illud etiam in terris fiat atque seruetur. Intelligen
da autem nunc uoluntas beneplaciti, non omnipot
entiae: hac. n. fiunt omnia quæ uult Deus. Sed quod
illi placeat, hoc oramus ut fiat in hac etiam uita. In
cœlo enim manifeste ipso regnante geruntur uni
uersa ad nutum ipsius: In terris autem impij palam
aduersantur, fideles saepe destituuntur uiribus, quo
minus suam uoluntatem quoque coiunctam cum Dei
uoluntate perficiant, ut D. etiam Paulus queritur,
adesse quidem sibi recte faciendi uoluntatem, sed de
esse facultatē. Reuoluuntur enim imbecillitate &
uitio corruptæ naturæ animi frequenter ad se & de
syderia sua. Itaque ex auditu sancti, cuncta quæ sci
unt & sentiunt Deo grata esse, ea faciūt, & uitare
contraria. Ita sua iam fronte præcepta & leges dia
uinæ, quantū in hac carne fieri potest, custodiunt,
& sine ullius offensione ambulant in sanctitate &
innocentia. Non solum autem oramus, ut in hac par

PVERILIS DOCTRINA

te nos Deus Pater noster benigne respiciat & addis
uet, ut facere quod ipse uult possumus, sed ut etiam
aliorum misereri, & tenebras animorum ab ipsis
cognitione & uoluntate adhuc alienorum illuminare
dignetur, & inducere quod plurimos in uiam ue-
ritatis & uitæ, que est Christus. Nunc ergo scia-
mus, petere nos, ut Deus pater noster secundum su-
am uoluntatem adducat nos ad cognitionem &
morem suum, & contineat usum uitæ nostræ in actio-
nibus laudabilibus, quæ sunt acceptæ illi, cum cuius
uoluntate si nostra mentes consenserint atque con-
cordauerint, cum scilicet in fide oramus, exaudi-
tum nos iri certum est.

Panem nostrum quotidianum da
nobis hodie.

Petunt nunc fideles à Deo Patre suo, ut cum sibi
hæc uita communi omnium more uiuenda sit, cibo
etiam sustententur, & alia necessaria ad eam de-
gendarum habere possint. Expectant autem à cœlesti
Patre hæc omnia, quemadmodum uidemus pueros
à parentibus suis in terris. Ideoque nemo suam tan-
tam esse gnauitatem & industriam putat, ut para-
re illa possit suis uiribus, quod faciunt ij, qui alieni
ab hac cognitione & sensu, infinitam operam dant
querendis pecunijs & opibus. Quod cum alibi
Christus damnat, tum manifeste uetat fieri, ubi di-
cit.

tit: Nolite solicitari de crastino. Et nunc, cum peti iubet panem quotidianum, quo hodie fruamur, nō uitum atque cultum in annos centum. Intelligen- dum autem hac uoce significari omnia, quibus in- digemus in uita, alimoniam, uestitum, quibus h.e.c parantur, prouentu frugum & annorum felici- tate, quibus & frui possumus, pace & tranquillita- te. Ita h.e.c petitio ualde dilatatur. Græce quidem ἐπιούσιος ἀρτος dicitur cōmuniſ & consuetuſ ci- bus, quem nō male quotidianum interpretati ſunt. Quare ſentiemus, nos petere hiſ uerbis à Deo pa- tre ſuccuſum & fortunam in omnibus hiſ acqui- rendi, quibus inſtructi, hanc uitam ad gloriam il- liuſ & ſalutem noſtram traducamuſ. H.e.c quidem quicq; labore ſuo pariet, ſed feret Deo accepta, qui niſi largiretur, nulla eſſent, ideoque & quotidie, ut illa nobis ſuppeditet, orabimus, & pro tributis gratias agemuſ.

Et dimitte nobis debita noſtra, ſi- cut & nos dimittimus debitoribuſ noſtriſ.

H.e.c petitio eſt cum conditione perſcripta, cum aliæ ſint ſimplices: ſic enim orant ignosci ſuis deli- etiſ fideles, ſi ipſi alijs ignoſcant. Nam apud Lu- cam ita legitur: Etenim nos quoque dimittimus, quicquid ab ullo debetur nobis. Et in Matthæo

PVERILIS DOCTRINA

orationis formulæ statim hoc subjicitur: Si offendas
suas alijs dimiseritis, dimitte et uobis pater cœl-
stis uestras. Quo loco primum notandum, in hac men-
tione remissionis peccatorum diuersis in locis diuer-
sa uerba græca ponit. Nam in Matth. legimus græ-
cum uerbum, quo significantur debita, et alterum,
quo delicta et offense. Et in Luca, quo peccata et
mala facinora. Quod nos diligenter animaduertes
re par fuerit, ut discamus petere nos, et ut impro-
bitati, et ut neglectioni atq; ignauie nostræ igno-
scatur, et uenia detur à Deo, id q; tum, cum nos eti-
am alios homines benevolentia omni complexi fue-
rimus. Quod non est intelligendum tanquam prece-
um constitutum remissionis peccatorum, sed ut si-
gnum et declaratio illius. Remittuntur enim om-
nia peccata, id est, iusticia contingit gratis propter
Christum, ut auditum est. Multa autem etiam à san-
ctis uel potius plurima in hac uita peccata comit-
tuntur: neglectiones uero sunt quotidianæ, ut neq;
unquam homo mortalis ad tantam innocentia per-
fectionem peruerterit, ut remissionem peccatorum
ullo tempore nō indigeret. Si dicimus, ait Ioan. pec-
cato nos carere, nos mentimur et c. Et David: Non
iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Itaque
sentiemus, uere hoc ab omnibus et ex animo orari
oportere, quiq; non faciant, eos hypocritas esse, et
se fallere atque irridere Deū. Sic recedendum iam
nobis

nobis ab humano sensu & iudicio , quemadmodum
in toto negocio iustificationis : sic enim sperant ho-
mines aliquid se impetraturos à Domino atq; ab ho-
minibus alijs , si ostenderint se non indignos esse qui
exaudiantur . Itaque prius sua merita solent cōme-
morare , ut sacerdos Apollinis apud Homerum . At
Christiani contra securi de se , neque ullo respectus
dignitatis bonitatisq; sue , maximas res petunt , at
que illam non admittunt cogitationem & solicitu-
dinem sue sanætatis , sed cum perturbantur consci-
entia peccatorum , reiſciunt in Deum & hanc cu-
ram , & nō incipientes orare , ut uidemus , sed in me-
dijs precibus sic inquiunt : Scimus quidē & fatemur
nos esse peccatores , & indignos propter scelerā &
flagicia nostra tuis beneficijs , neque in illo etiam
bono opere satisfacere unquam uoluntati tue , tu ta-
men , o pater , remitte nobis debita & peccata no-
stra : ecce enim & nos dimittimus debita , et ignoscim-
us offendis aliorum . Atq; ita confirmati animis ne-
que dubitant , quin prioribus annuerit Deus , &
confidenter orant amplius , sicut audiemus .

Et ne adigas nos in temptationem.

H.ec petitio adiunctam habet aduersatiuam , id
est , preceptionem subiectam deprecationi : sed ut a-
lij fecrē , sic nos quoq; separatim dicamus de utra-
que . Tentationis uerbum frequens est in scripturis ,
& significat explorationem uoluntatis alicuius .

PVERILIS DOCTRINA

sed sonat multum in partem deteriorem, ut cum dicatur: Fidelis est Deus, qui non permittet tentari uos supra uires. Sed propter infirmitatem humanam omnis tentatio periculosa est, ideoque simpliciter deprecatur Christiani, qui sola misericordia per gratiam et meritum Christi placere Deo cupiunt: Ne, inquit, o pater, immittet tentationes nobis: sunt enim uires nostrae imbecilles, nihil sustinere possunt gravioris oneris, nullum malum propulsare, quare liberatione tua opus est. Tentationes autem accipimus omnia, quibus solicitati animi nostri aut faciendo aut fugiendo delinquere possent. Earum, cum in malum et perniciem conuertunt, proprius quidem autor et excitator Deus non est, sed illius adversarius Diabolus, et uitia atque prauitates nostra. Cum igitur oramus, ne ille in tentationes nos inducat, hoc scilicet oramus, ne suum praesidium et protectionem nobis subducat, neue in defensos et incustoditos relinquat, expositam predam Diabolo, qui sicut Leo rugiens circumit, querens quos discer pat.

Sed libera nos a malo,

Cum

Cum autem nihil ijs, qui cum Christo coniuncti
sint, extimescendum iam sit mali, propter eadē quod
peccatum ipsorum ille deleuit, ex plenatamen o-
mnia malis sint, propter scelerā et delicta homi-
num, neque non hēc etiam fideles exagitent, quos
eosdem ex peccatum sollicitat, ideo, cum impetra-
rint iam remissionem peccatorum suorum, petunt,
ut pœna quoque auferatur, id est, ea quæ sunt pec-
cati merita, ipsius improbitatis uis, flagiorum fe-
ritas et infamia, scelerum immanitas et supplici-
a, tum uero morbi, inopia, mors ipsa, in que qui-
dem impellimur omnes, atque in hoc mari turbulen-
to malorum ac misericarum uitæ iactatur nauis no-
stra, sed Deus est, qui uentis et procellis imperat,
et liberat suos, de que illis omnem malam afflicti-
onem propulsat. Verbum, mali, accepere aliqui in
significatione autoris, et causam malorum omni-
um, qui esset Satan, quod et si nihil incōmoditatis ha-
bet, tamen simplicius est, ut malum intelligamus
hoc loco afflictionem, damna, miseriam, ut cum
bonum dicimus fœlicitatem, et honestum uir-
tutem. Hoc etiam discendum, cum uelit C H R I-
S T V S peteret nos liberationem mali, experium-
dum scilicet illud et sentiendum esse: itaque com-
mendari hoc loco pulcherrimam uirtutem, pa-
tientiam, cum sciamus, nobis in omni dolore

PVERILIS DOCTRINA

animi & cruciatu corporis propositam esse libera-
tionem, quam potentibus Deus promiserit.

Tuum est enim regnum & poten-
tia & gloria in secula seculorum
Amen.

Post hæc additur in Græcorum libris pulcher=
tima clausula, qua celebratur & ille Deus quem ad=
doramus, & nostra fides cōfirmatur. Tuum enim,
inquit, est regnum & potentia & gloria in se-
cula seculorum, atq; ita concludimus communiter,
Amen. Hæc igitur, si non ore tantum sed etiam fide
pronunciamus, quid iam amplius metuimus, haben-
tes Deum regem, cuius propria sit potentia & sem-
piterna, non ut terrenorum regum incerta & ca-
duca? Huic igitur certe etiam soli gloria debetur à
nobis, qui illam habet sinceram & minime fu-
çatam, sed elucentem de uirtute numinis sui.

Verbum autem Amen, Hebraicæ
gentis more adiungitur, in signifi-
catione certitudinise & spei no-
stræ & diuine uo-
luntatis.

FINIS.

SEQVVN-

TVR Q VAE DAM Q VAE IN
ter propositi ex dictati Catechismi ex-
plicationem à studiosis excep-
ta & annotata fuere.
Præfatio.



RIVS Q YAM AD
eam rem, cuius gratia
curaui uos hoc tempore
conuocari, tractandam
aggrederi, pauca mihi
facienda uerba sunt, de
hoc consilio meo, quod
cupio probari omni-
bus, aut saltem plurimis, cum intelligam, uel noui-
tate facti uel propter meā personam in quorundā
reprehensionem posse incurrere. Sed simpliciter,
ut fert natura mea, rationem illius accipite. Non
enim is ego sum, qui uel ambitione ductus in alie-
nas operas irruere, & negocia mihi accersere ue-
lim, uel qui aliorum professiones aut parcipende-
re, aut accusare soleam. Id uerū esse, cum anteacta
uita mea, tum apud uos traductum tempus testimo-
nium dare poterit. Sed in præsentia multis mihi mo-
dis necessitas imponi uisa est, non aliena docendi,

PVERILIS DOCTRINA

Sed ea, quorum, ut ipsa sunt omnium nostrum communitas, ita doctrinam tamen certorum esse propter ordinem & disciplinam conseruandam oportet. Ego vero in ordinariam doctrinam quasi irrumpere non debo putari, qui proposui, puerilem quandam ad pietatis sensum instructionem me curaturum esse. Quam curationem si alia mihi res nulla quam voluntas mea erga uos tanquam domesticam turbam daret, tamen probanda uideretur esse. Tantae enim mihi omnium uestrum salus & cōmoda cure sunt, ut respectus hic officij mei illum naturae erga liberos meos, non quidem anteuertat, (Fieri enim neque debet, neque potest) sed non longo certe interuallo sequatur. Ideoque indignum mea fide iudicavi esse, dum quidem hac existimatione & eruditionis & pietatis uobiscum manerem, uidere multa fieri geraique, cum abhorrentia à ueritate, tum improbe ac planè barbare. Quod si potuisset perfici, id quod nunc etiam agitur, ut puerili doctrine & institutioni peculiariter aliquis uir bonus & grauis atque pius preponeretur, neque in hac parte, neque alijs pluribus locis mea opera desyderaretur: Nunc cogor, si, non alijs dico, sed mihi in tuendo officio meos satisfacere uelim, respicere ad uaria atque diuersa, & ut dicitur, circumcursare huc illuc. Non igitur uos me audietis tanquam Theologum de superiori loco,

loco, sed tanquam parentem ad subsellia uestra uocem
biscum ea differentem, uel si mauctis balbutientem,
que ignorare omni in aetate, sexu, conditio-
ne, genere, nefas uel potius summum periculum
fuerit. Nam quis est, per Deum immortalem, cu-
ius non pudore animus, os rubore totum perfun-
datur, cum in rebus humanis deprehenditur ea ne-
scire, quorum cognitionis famam & titulos su-
stinet? Si iuris consultus aliquis esse uelit, & quid
leges: Si medicus, & quid morbus sit, ignoret, qui-
bus tandem oculis, nisi planè impudentia & stu-
ticia excæcatus forte sit, aspecturum utriusque
scientiæ peritos illum creditis? At nos de his, que
nomine iactamus, non solum ante hominum, sed
angelorum atque ipsius omnipotentis numinis con-
spectum audiemur atque interrogabimur, C H R I-
S T I A N V S es? Quid est C H R I S T I A N U M
esse? Tum in sentencias cuiusque, & has mori-
bus atque uita expressas inquiretur, ubi rudes,
inertes, malos, etiam peruersos inueniri, si tur-
pe modo esset, minus fortasse mirandum uide-
retur, tam negligenter se plerosque ad hoc exa-
men comparare. Nunc quid dicam, cum insci-
tia & prauitas illa pestifera atque exialis fu-
tura sit omnibus in ea deprehensis? Quapropter
obtestor uos, si qui animo estis molliori & man-
sueto, per Deum ipsum Patrem & Dominum

PVERILIS DOCTRINA

nostrum Iesum Christum, ferociores autem per uitam salutemque ipsorum, quorum cura etiam in humaniissimi tanguntur, ut hanc tantam cognitionem ac scientiam atque studium ueritatis Christianae perse qui ex appetere cupidissime uelitis. Videtis impendere periculis et malis plenissimam tempora, omnia esse referta horribili metu. Ipsum Deum creberi mis portentis atque monstris terrere animos hominum. Quod si, ut quondam, pax sit ex profundum silentium, tamen etas ex uita incredibili celeritate decurrens, praeuertensque non solum rapidissimos amnes, sed etiam sagittarum uel potius cogitationum uelocitatem, hortari cononere que nos debebat, ut salutis capitisque quisque sui causam susciperet. Quemadmodum enim repente is, qui nunc hoc in loco adest, in Grechia aut etiam India constitui animo et cogitatione solet, ita in presentia optimae uletudinis, integerrimaruirium, iuuentu, roboris, opus, dignitatis, potentiae, in persuasione certissime felicitatis, subito presto est mors atque interitus, quibus illa omnia in uno momento temporis auferuntur. Hec nisi quotidie ita fieri cernerentur, confungi ad formidinem, ex predicari inflatius forte crederentur. Nunc tanta est crebritas, ut uulgi et imperitorum animis, quod usitata sint, ne curanda quidem hec respicienda esse uideantur. Quem enim ille tot modo non ex auditae uocis diuine predictio nes

nes multipliciū signorum mouent atq; percellunt,
ut expectet quosdam singulares euentus & casus
ætatis nostræ? Quem autem illa quotidiana exem-
plas subiti improvisi q; interitus & certissimæ mor-
tis tangunt, ut ad se respicere suique attentiorem
curam gerere uelit? Neminem profecto, ac omnes
potius ad hæc consuetudine occalluerunt. Utque do-
ctis ac prudentibus uiris dignissima spectatrices or-
tus & occasus Solis atque syderum, uulgas propte-
rea q; esse quotidiana uidetur, nihil mouet, ita hæc
etia, quæ dixi, imperitorū animos prorsus nō tan-
gunt, bonis uero & cogitantibus uiris ualde ani-
maduertenda uidentur esse. Sed hoc loco mihi ali-
quid de ipsis are dicendum. Nam sensu pietatis erga
Deum, qui est fons omnis cultus illius, cum nihil sit
simplicius, factum omnibus seculis fuit prauitate
sceleratorum hominū, uel etiam interdum super-
stitione stultorum, ut ille in multas uel potius infi-
nitæ partes turpissime distraheretur, atque haud
scio, an unquam foodius, quam his ut apparet extre-
mis mundi temporibus uel potius diebus. Quo ma-
gis atque diligentius & exquirenda & tenenda ue-
ra uia est, quam ingressi ad Deum ipsum peruenire
possumus. Que quidem una proponitur, Christus.
Hic igitur uestigandus, cognoscendus, apprehen-
dens est. De hoc omnis noster uobiscum sermo
babebitur: huius uoluntatem, opera, iussa scrutabis

PVERILIS DOCTRINA

bimur. De sua multi paſsum litigant, nonnulli dimi-
cant, dignitate atque potentia, periculo ecclesie,
dum nemo altero neque intelligentia neque hono-
ribus esse uult inferior, res ecclesiastica dissipatur
& discerpitur. Inter hec nobis, quasi quondam Iu-
daico populo, in discrimine serpentum errantibus
atque trepidantibus, ad solum Christum est & eum
quidem cruci affixum appiciendum, in illo hærere,
in illo etiam, ut ceruos agitatos in aquis uidemus,
mori, que est una & sola uita futura, Christianos
oportet. Rideant sane hanc & cupiditatem & per-
suasionem nostram sapientes, & de his audire atq;
quererere rebus puerile, uel, ut ipsi aiunt, anile pu-
tent. Ita enim est, & Christus pueros à se repellit
non sinit, & mulierculas non est auersatus: Infir-
ma enim & debilia corroboranda & erigenda si-
bi delegit, non ualida neque excelsa: quid enim his
scilicet adiutore opus? Neque me fugit, multa ha-
rere in animis multorum uestigia ueterum erro-
rum, quibus insistere malint, quam cursum retor-
quere atque conuertere: cum his, nisi ipsi se forte
intulerint, & in nos impegerint, no contendemus,
sed si qui, uel prauitate animorum, uel contumacia
melioribus refragari, & ipsi nihil in medium boni
proferre uoluerint, iij experientur fortasse, neque
animos neque uires defuturas assertoribus uerita-
tis. Dicam aperte quod sentio, ideo quia coram uo-
bis dictu-

bis dicturus sum : Ita sunt aliqui animati, ut in explorata potius improbitate perseuerare, quam cedere monentibus uelint. Quidam ea malicia atque improbitate, ut omnem doctrinam rectam non modo fugiant & uitent, sed etiam oderint atq; execrentur. Non dū comperta satis, sed ne ignota quidem prorsus loquor: Reperiuntur nonnulli, ita humilibus & projectis ingenij, ut nihil nisi barbaricem superstitionemque optent, atque ausint etiam sibi leuisimi homines, uaniissima quidem, ut confido, spe, polliceri. Horum flagicia atque scelerata, uel portenta potius facinorum: indignitas enim rei ex primit orationis uehementiam: non solum propter ipsa, sed etiam Reip. causa, non tam uerbis castiganda, quam supplicijs coercenda sunt ac comprehendenda. Eadem est in studijs literarum quorundam malignitas, immō miseria atque calamitas. Sed de his aliis dicendi locus. Hęc autem dico ego, qui animo sum lenissimo, que asperitatem odi atque refugio, idemq; omnibus consilijs subitis atque immoderatis inimicus, ut qui maxime: Qui ferenda omnia, que ferri ullo pacto possint, censeo. Nihil temere nouandum, ad multa conniuendum pacis & quietis causa optimum esse statuo. Non tamen, ut nefarie fraudes & facta improbitatis exiciose toleranda atque dissimulanda esse existimem. Sed ad uos reuertor. Meum consi-

PVERILIS DOCTRINA

lum exposui , nunc quid uos facere æquum existimem cognoscite. Si uestrae salutis ac uitæ atque capitis causam suscepi, si uoluntarium labore in nō optima ualitudine mea mihi imposui, si nullo emolumento proposito, nulla lucri, nō deniq; ullius cōmoditatis spe, defatigationem hanc non refugi, debetis eam uos saltem referre gratiam mihi , ut acceptam esse uoluntatem uobis meam , studio & assidue uestra declaretis. Cur ego obsecro hac in re tam sollicitus sum & timidus? Magna est seculi nostri uel summa potius corruptio & prauitas . Incredibilis deformitas atque dedecus inuasit in mores. Summi, infimi, grandes, parui, senes, iuuenes, uirtutem, officium, pietatem coluisse ne pulchrum esse ducunt . Et nos reducta ad ueritatem studia habere gloriamur. Si ita fiat, nisique Deus nos respxerit, ut occurratur his tantis malis, prædico, uaticinor, scio futurum esse, ut mox desertæ atque spretæ iaceant optimæ artes , multo in maioribus tenebris barbarie, quam si hic splendor ueritatis illuxisset nunquam. Non dico haec, ut ulli contumeliam impavidum uel homini uel ordini. Vobis haec dico, quos cupio conseruari, & refugere ab immanitate seculi nostri, tenendo uiam pietatis Christianæ & uirtutis. Illam designat Verbum Dei, qui est Christus, solum & directum iter ad patrem. Hic est naturæ ductus, quam qui sequetur in humanis rebus & in terris

terris, nō errabit. Multa animaduertunt ac notant boni, multa comperiūt atque resciscunt, quibus misericorde perturbantur atque affliguntur, in ultima desperatione de salute hominū, non desinunt tamen, quotiescumque adhibentur, facere dicere que sedulo, quæcumque in commune omnibus & priuatim singulis honesta, utilia, salutaria esse iudicant. Si nihil proficiant, conscientiae suæ testimonio facile libenter que contenti acquiescunt. Non dico amplius, ne quis etiam me laudare putet, quem nemo contempsit unquam magis, quam ipse me. Vestrum unusquisque, hoc enim superest, in summa confusione rerum omnium, in nullo propemodum discrimine sacrorum ac profanorum, in maxima licentia uitæ, ipse sibi caueat, sibi prospiciat, atque ut nauti fracta tabulam circumspiciat, quaenatare ab interitu ad salutem possit. Vobis præcepta non derunt, si animus discendi non defuerit, ut in aliena voluntate nemo nisi seipsum iure accusaturus esse videatur. Sed nunc quod instituimus, id agamus.

DE PRIMA INSTITUTIONE doctrinæ Christianæ & Christianismo.

Nihil est enim in hac doctrina cœlandum) Hoc multifariam fuit facilitatum, cum nō modo arcana fidei incluserūt in allegorias quasdam, ut quæ non à quouis intelligi & cognosci de-

PVERILIS DOCTRINA

berent, sed etiā Euangelij & sacræ scripturæ tex-
tus à tractatione communi remouerunt. Iam inter
concionandū, qui sapientissimi habebantur atq; do-
ctissimi, cum prædicationem Euangelij facere pro-
fiterentur, accidit auditoribus fere, ut, quemadmo-
dum græco proverbio dicitur, Λαβόντες μηδὲ π
νεατέσσερες μηδὲ π, hoc est, comprimeret manus
uehemeter, ut tenerent nihil. Sed quid est, uobis da-
tū nosse mysteria, cæteris aut per parabolæ? Scili-
cet erat hic aptus doctrinæ modus ad multitudinē.
Quin ipsi tū Apostoli, adhuc præsente Christo,
doctrinam illius minus percipiebant, & pleraque
omnia interpretabantur secundum & intelligenti-
am & cupiditatem suam, de terreno & externo re-
gno. Nō igitur sunt mysteria hæc eleusinia quædā,
que enunciari nefas sit: immò Christus uoluit omni-
bus omnia exponi & annūciari. Omni creature,
inquit, prædicare Euangelium. Et quis modium su-
per accensam lucernam collocat?

Manuductionis) Sic enim infantes, ad illo-
rum parvulum statum sese dimittentes, ingredi do-
cet, manibus primū ambabus sustentātes, mox una
subleuantes, dū recti secū incedere, atq; tandem ipsi
soli ingredi, & currere quoq; atq; saltare sciant.

νατθχιούσ) Veteres Græci de ecclesiastica
disciplina & institutione rudium hac uoce usi sunt.
Lucas uerbum posuit: ἵνα ἐπιγνῶσ περὶ ὧν κο-
τηχύθησ

την χάθος λόγων τὴν ἀσφάλδαν. Significat autem uox quasi resonantia quandam, ἀπὸ τῆς οὐχοῦ, unde et Echo facta. Intelligitur ergo quedam prima institutio, cum aures assūscunt resonare doctrinam aliquam. Quae sequuntur, præceptum continent optimū, et in omni re, negocio, doctrina utile: Ne quid temere, præpostere, audacter fiat. Ita n. cū fit, maxima statim præsto sunt incōmoda. Quoque res aliqua maior, præstantior, et diuinior est, eo deterius est, si nō recte neq; ordine tractetur. Itaq; in primis coērceri debet oes iuueniles animi motus, ne cupidi nouarū rerū temere aut turbulente aliqd gerere incipient, veavieνovτεց էپ τա վաշեցէդս, hoc est, studentes rebus nouis iuuenili levitate.

Christianismi autem uox) χριστὸς est nomen uerbale, ἀπὸ τῆς χριώ, id est ungo. Atque eratunctionis signum diuinitus institutum, quo reges quondam Iudæorum declarabantur, ut constaret iudicium et uoluntas Dei et ipsis et alijs. Hæc unctione est completa et perfecta in Christo, qui uerus est Rex populi Dei, unctionis sancti spiritu, quem delapsum super illum manifesta specie cœlitus omnes uiderunt, et audierunt uocē Dei, quæ proclamat: Hic est filius meus dilectus, in quo aqescit beneplacitum et uoluntas mea. A Christo igitur rege et domino sunt Christiani, quo nomine Lucas scribit primū Antiochiae cognominatos discipulos, cū ante

PVERILIS DOCTRINA

Nazareni, ut aiunt, vocarentur, à Iesu Nazarenos, quem secuti fuissent. Ab hoc rursum uerbum Χριστού, id est, facere cum Christo, siue esse partium Christianarum. Ut μηδέ τις studere Medis. *Quia λιπτίζειν, quasi cum Philippo facere, ut Cicerone interpretatur secundo de divinatione.*

NOVA CREATURA) Eximius locus ad Roma. cap. 6. Num hoc nescitis, nos omnes quotquot baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem esse illius baptizatos? Et mox: Ne regnet igitur peccatum in mortali corpore uestro. De quibus facile intelligitur, non humanam esse vim iusticie, qua Deo placeamus, sed hanc omnia humana tollere atque sepelire. Et rursum cap. 8. Non estis uos carnales, sed spirituales. Quod si quis spiritus Christi expers est, is Christianus non est. Et ad Corin. 2. cap. 5. magnificus locus de arrabone spiritus, quem Christianis Deus dederit. Et omnem esse in Christo nouam creaturam. Et ad Gal. 6. Neque præpucium neque circumcisionem esse quicquam, sed nouam creaturam. De quo ideo dixi uerbosius, ut omnes etiam paruuli iam inde à principio assuecant, haec diuina ab humanis distinguere & separatim considerare, de quorum confusione horribilia uitia & damnatio extitere.

RECTE AVTEM DICTVM) Cicero
Tusc. i. Quid illud, num dubium, quin specimen
nature

naturæ capi deceat ex optima quaq; natura? Ut si de equis agatur, quis ferat de strigoso aliquo aut clando equo de toto genere fieri existimationem? sed ille est producendus

Cyllarus & quorum Graij meminere poëtæ.

Quod ideo moneo, ut ab excellentia etiam huma-
næ uirtutis Christianismus separetur. Non enim
iam de insanis, ebriosis, impuris, loquimur, quibus
omnium iudicio, ut ægrotis, medicina opus est, sed
de maximis & summis uiris, quos & ipsos renoua-
tione & regeneratione indigere dicimus, de quo
disputauit Christus ipse copiose cum Nicodemo.
Quam enim hoc mirum optimo illi & sapientissi-
mo uiro uidebatur? Paulus quidem ad Roma. 7. ma-
nifeste distinguens hominem ψυχὴν, ut uocat,
externum, ab homine nouo & interno, qui est op-
pus nouum Dei, neque ab homine uitam accipit,
quid significat, nisi omnes qui gignantur ab homi-
nibus peccatores nasci? Ut enim ait Haratius: For-
tes creantur fortibus, nec imbellem feroce proge-
nerant aquile columbam: sic etiam peccatores ori-
untur de peccatoribus, non iusti de nocentibus.

SED Q YIA L A E T V M) Intelligendum,
hoc letissimum præconium salutis nō exaudiri nisi
à tristibus. Non enim sani sanantur, sed ægroti, ne-
que pura detergentur sed impura. Itaq; sic ait Chri-
stus: Non opus est bene ualentibus medico sed uale
Matth. 9.

PVERILIS DOCTRINA

- Luce.5. tudenarijs. Negatque se aduenisse qui uocaret iusta-
tos, sed qui uocaret peccatores ad pœnitentiam.
Matth.11. Et rursum: Adeste, inquit, hic apud me omnes, qui= cunque defatigati estis et pressi, atque a me quietem accipite. Illa autem similitudo ouium quam hoc ipsum egregie explicat? Neque aliter omnino res se habere potest, et Salomon hoc ipsum docuit ijs sentencijs, quibus ostendit, ante gaudium antecede= re afflictionem. Itaque prædicatur Euangelium ad utilitatem trepidantium et perculorum animo=rum, quos omnium malorum, etiamque bonorum istorum terrestrium et mundanorum pœnitit. Apud Matthæum clamat Ioannes: μετανοῖτε, nam prope est regnum Dei. Ergo priores εὐυολαι seu δι=ένοραι mutanda sunt. Quod uerbum pœnitentiae efficere oportet. Was heißt μετανοῆς anderst dann hertz vnd gemüt endern/ vndein ande= re hauß anziehen/wie man sagt. Hunc ordinem non comminiscimur nos, sed scriptura præfinit. Venit Ioannes prædicans baptismum pœnitentiae in re missionem peccatorū, Luce tertio. Quin Christus ipse sic est orsus, ut scribit Matthæus cap. quarto. μετανοίτε: ἦγγικε γάρ οὐ βασιλεῖα τῶν ὄντων νῦν. Et Petrus Acto. 2. μετανοήσατε οὐδὲ βα= πλιθήτω ἔνασος υμῶν ἐπὶ τῷ ὀνόματι ιησοῦ χρι=στοῦ, εἰς ἀφεσίνα μαρτιών.
- Venit igitur Euangelista Christus ad attentos et preparatos

preparatos pœnitentia, non ad securos & contem-
ptores. Est autem securitas ualde periculosa uel po-
tius exiciosa in malis. Recte enim dixit Hippocra-
tes, pessimos esse morbos, in quorum, cum grauissi-
mi sint, præsentia, dolor non sentiatur: tum enim
ipsam mentem laborare. Similiter securitas uitium
est nocentissimum, & letalis morbus animi, cum
ille in ultimis ægritudinibus nihil sentit mali. Hæc
existere solet de pessimo uitio, quod dicitur à Gre-
cis οὐλαυτία, Horatio est, cæcus amor sui, quo
sibi quisque mirifice in omni deformitate placere
solet. Sentencia est Platonica uobis hoc loco cognoscenda, in quinto libro de legibus:

πάντωρ δὲ μέγιστος καιδρὸς ἀνθρώποις τοῖς πολ-
λοῖς ἐμφυτορέρτησι τυχαῖς δῖμ, & πᾶς εἴχει
τῶ συγγνώμην ἔχωμα ποφυγὴν σδεμίαν μη: Alludit ad
χαντάται. τότο δὲ στρ, ὁ λέγοστιμ, ως φίλος proverbi-
αντῷ πᾶς ἀνθρώπος φύσι τε ἐστι, καὶ ὅρθως εἴ-
ται τὸ δεῖρανχιτοιστορ, τόδε αληθεία γε πάντα
τωρ αἱμαρήνιατωρ διὰ τὴν σφόδρα ἐκπίσθοιται
λιαρχίτιομενάσω γίγνεται ἐκάστοτε: τυφλὸς dis: οὐλῶν
ται γλῶ περὶ τὸ οὐλούμενορ ὁ φίλωρ. Quæ μάλιστε
sic sumus interpretati: Maximiū uitii uulgo in ani-
mis insitū est, in quo indulgent sibi oēs, neq; quisq; οὐκ αἰσχύ-
ferè illo liberari studet. Hoc autem est quod aiunt, unū νομα.
quæq; ad se ipsum amandū natura duci, recte q; dici

PVERILIS DOCTRINA

Hoc omnes facere oportere . Sed si quis rem consyderet, inueniet maximam delictorum causam esse sui ipsius amorem . Execatur enim amator in eo quod amat . Aperiri ergo oculos nostros oportet, ut cernamus uitia intra nos : Hoc opus legis est . Et hic est poenitentiae ortus . Nam

Hic solet euentus facta nefanda sequi.

Atque ita auditur et sapit vox Euangeli , et
hec est series Christiani negotiij.

Lege peccatum cernere.

Peccato confecto perterriti et mori.

Euangelio reuocari et uiuere.

Impijs planè non intelligunt Deum: Quidam superbi et elati ob sanctitatem animis, non intelligunt sicut deberent. Illi ut bestie conculcant hanc doctrinam: Hiderident, aut etiam auersantur. Sed hos dimittamus, qui a hodie admodum pauci sunt uel nulli potius, qui suis operibus confidere et freti esse possint. Impiorum autem plena sunt omnia. Inter quos simulatores etiam Christianismi multi sunt: Omnes enim iam scientiam Euangeli iactitant, sed res aliud ostendit: Deus autem non irridetur. Euangeliū igitur promulgatur contritis corde, spiritibus contribulatis, et pauperibus. Hos sanat, hos erigit, consolatur, locupletat: istos diuites praefidentes sibi relinquit, in opinione fœlicitatis, omnium bonorum, inanissimos.

Quæ

Quæ præmia peccati ὁ ἡώνιος peccati
id est, stipendum, mors est, inquit Diuus Paulus.
Egregie autem dixit Hesiodus:

πολλάκις ήσύμπασα πόλις κακόνδρος
ἐπαυρεῖ.

Sæpe uiri peccata luunt totæ unius urbes.

Quare uero? Quia ita se res habet ut in epigrā^æ
mate dicitur:

Ἓλις καὶ μεθύει καὶ φεύδεται: οἶος ἐνάστη
σινος τοιν δὴ καὶ ξυνάπασα πόλις.

Ita enim ciuitas est ut sunt ciues. Sunt autem hæc di-
cta ueterum nequaquam contemnenda, sed tan-
quam diuinæ uocis amplectenda; Naturæ enim ius-
dicum in his patescit, que est diuina præscriptio.
Sic aut̄ Xenophon in quinto lib. historiæ Græcorū:
τὰ μέρη οὐρανοῖς τις ἔχει καὶ ἄλλα λέγει, καὶ ἐλ-
λινικά καὶ βαρβαρικά, ὡς θεοὶ οὐτε τῷράσσε-
σοῦνται, οὐτε τῷράννοσία πραπόντωμα μελάσσοι.

Huc pertinet ille Hesiodi: (σας.)

πάντα ἵδωμα δίος ὁ φθαλμὸς καὶ πάντα νοή-
Vt discamus omnia Deum cognoscere, et aspicere
res humanas illum. Neque existimemus, ideo nesci-
re Deum quid fiat, et fugere nostra peccata et sce-
lera, si animaduersio non statim præsens sit. Nam
ut Homerus ait, tarditatem solet ille compensare
magnitudine poenæ.

PVERILIS DOCTRINA

ILIADOS Δ.

Ἴπερ γάρ τε καὶ αὐτίν' ὀλύμπιος, οὐκ ἔτελεσθε
ἔκτε καὶ ὄφε τελεῖ, σύντε μεγάλω αἴτετιασαν
σύμσφισιν οὐ φαλῆσι γυναιξί τε καὶ τεκέεσιν.

DE DECALOGO.

Legem naturae constat esse legem diuinam. Ergo omnibus insita est uis iudicandi, quid rectum et bonum, quidque prauum et malum sit. Ad hoc iudicium leges exprimuntur, que uoluntatum in constantiam et leuitatem cotineant, et reuocent in uisam. Hec enim in homine sic sunt et tam miserum in modum corrupta, ut nisi assiduitate quadam preceptorum et doctrine, atq; etiam uia externa legum coercerantur atq; reprimantur, effluant et exundent in omnia flagicia atque scelera. Etsi hoc etiam lumen naturae, id est, iudicium rectum quidem et diuinum, peccato quod in naturam ipsum inuisit, ita est quasi obtenebratum, ut tanquam per nebulam, ut dicitur, uideat atque definiat appetenda et fugienda, itaque in diuinis rebus ueluti enucleans mirifice solet incurrere atque offendere. Sed si intus sunt perscriptae leges, ut etiam Diuus Paulus docuit, quid tabulis opus fuit? Ut recordaremur scilicet, et sensibus etiam perciperemus illam scripturam animi, et reminiscendo disceremus: mediantes die ac nocte in lege Domini. Quod se facere gloriatur

gloriatur sapientissimus Rex David, qui hoc unum suum esse studium ait, ut intelligere & meminisse possit legem Dei. Lex porro a Deo per Mosen perlata δέκατον γρέα νοε dicitur, & πέντε τῶν δέκα λόγων, id est, quod capita decem complectantur, quibus comprehenduntur omnia facienda & fugienda. Quibus etiam peccati cognitio excitat, ut ita deducamur ad C H R I S T V M, querentes liberationem a peccatis & supplicijs hominum. Vnde & Paulus legem πεντάγωνον uocat ad C H R I S T V M. Neque nos hac ut Iudeosteneri oportet: quo nomine aliqui superuacanea sapientia prediti decalogum ad Christianos pertinere negant. Sed hec est formula pulcherrima legum naturae, qua omnes mortales omnium gentium tententur. Atque hoc referenda sunt omnia alias scripta siue sacra seu profana, que monent, ducunt, instruunt, excitant animos & uoluntates hominum ad pietatem, uirtutem, decus. Nihil enim sunt aliud quam interpretationes & quasi quidam commentarij decalogi.

Ego sum Dominus) Notio Dei: Oportuit enim intelligere Iudeos, quis esset Deus is, quem amare, adorare, colere deberent. Hoc erat autem & recens et maximum beneficium, liberatio illorum de-

PVERILIS DOCTRINA

crudelissima seruitute, et mirabilis defensio ab hostibus. Vbi etiam hoc notandum, quod benignus se Deus ex beneficium et misericordem semper esse ostendit, non solum ut nobis illum posse, sed etiam libenter ut uelle benefacere sentiamus.

Sed si est lex naturae, colendum Deum, et ipsa natura Deum cognoscit, cur non possunt ueram ratione cultus Dei homines constituere? Nam haec quidem audimus, πρῶτα θεὸς τίμια. et: A Ioue principiū et c. et: Λεὺς ἀρχὴ, Λεὺς μέσα σῖδος δὲν πάντα πέλονται. Hoc est quod diximus, cæcutire in tantis rebus mentem humanā, itaq; instruenda est Verbo Dei, ut non solum hoc, quod ipsa scit et statuit, Deum esse, constet, sed etiam certa sit ratio cultus et uenerationis illius, ut non modo teneatur, sed sit Deus, sed etiam quis sit, ne errantes non modo sollem et sydera aut homines uita functos, ut Graeci, sed etiā ut Aegyptij allia et cepas, atq; ut quondam nostri, saxa et stirpes adoremus, et pro Diis colamus. Ergo, ut dixi, ipsius uocem audiamus. Vult autem et iubet, se Deum liberatorem coli. Quid nobis aut liberationis intelligendum? Illane ab Aegyptijs? Immò haec de peccato et morte, cuius illa figura fuit. Sed de hoc postea dicetur.

Non assumes) Sacrificiū laudis scriptura multū celebrat: Ut Psalmo 49. Immola Deo sacrificiū laudis, et redde altissimo uotatua. Et: Inuoca me

me in die tribulationis, et eruam te, et honorifica
bis me. Atque hic totus Psalmus hoc assumendus.
Itemque psal. 66. psal. 24. Propter nomen tuum Do=
mine propiciaberis peccato meo. Et 108. Saluum
me fac propter misericordiam tuam.

Memento ut diem Sabbati) In lege
aduenient intelligendi, qui se ad Iudaicum populū cir=
cumcisionē adiunxissent, et in illam ciuitatē essent
recepti. προσήλυτοι ἐπιλύδες dicuntur gre=
ce. De illis autem quae proposuimus facile intelligi po=
test, intelligētia constituendas esse duplices ferias,
unas quasi generales, secundum iudicium et legent
naturae: Esse ferias oportere. Alteras speciales, cer=
ti modi et certis diebus. Illae sunt immutabiles, haec
non item. Quare licuit a Iudeorum sabbato recede=
re, sed sabbatum tollere et abolere non liceat. Sab=
bati autem uoce feriae significantur. Sed in ordinatis
ferijs, ut omnibus constitutionibus mutandis, uel in
dissensionibus de his, nihil est temere committen=
dum. Non est enim δικαιοσύνας autor Deus. 1.
ad Corin. 14. Ac in omnibus hoc seruandum, ne co=
uellatur id aut labefactetur, neve etiā dissentiat
de ijs, que nō moueri melius fuerit, ut ualeat et in
his oraculum:

μὴ κίνδυνος αφεμένων, ἀκίνητος γάρ αμείνων.
Sunt enim ex eo genere, que ἀκίνητα dicuntur, que
summo etiam digito impellere prouerbio uetamur.

PVERILIS DOCTRINA

De sabbato spirituali, multe preclare sentenciae sunt passim in scriptura veteri. Esaiæ 30. In silentio. & spe erit fortitudo uestra. Item 32. Et erit opus iusticie pax & cultus iusticie, silentium & saturitas usque in sempiternū. Et 58. Si auerteris à sabbato pendum tuū, facere uoluntatem tuā in die sabbati &c.

D E C A E R I M O N I I S.

Nunc de ijs loquimur cærimonijis, quæ sunt ab hominibus institutæ & introductæ in cultum Dei, de quibus tanquam umbra non digladiari optimum erat. Hoc enim certe sunt illæ, si cum re conferantur. Nam si sabbatum etiam ludeorum illi genti definitum Paulus audet umbram nominare, non, ut opinor, improbe ab hominibus præscriptas, umbras uocabimus. Sed quia partim stulticia hominum, partim impietas in his hæret, explicandum de ipsis nobis breuiter quidem. Ac impietatem quidem querentium in his salutem prophetæ inclementer sepe corripiunt, ut Esaiæ ultimo, & Ieremie undecimo, & Paulus 2. Coloss. Atque haec sepe tamē ita penitus insidet, ut à re diuelli nequeat. Estq; hoc tempore difficultas maior, quo longiore tempore supinior negligentia fuit eorum, quibus curæ ecclesiæ incumberet, ut magis quid optemus q; quid dicamus, habere possimus. Pergamus igitur ad res liquas.

Honora

HONOR A) Prima hæc lex secundæ tabule,
quam etiam omnes omnium gentium legislatores
et doctores præceptis de Deo subiunxerunt. πρῶ=
τα θεὸν τίμα μετέπειπτο δὲ σέο γονός. Ita=
que et apud Latinos pietatis uno nomine et apud
Græcos τὸν εὐοεῖταις, tam Dei quam parentum
ueneratio atque cultus significatur. Filiorum au=
tem immorigerorum horrenda exempla proponit
scriptura, filiorum Heli, Absalonis, Chami, Ru=
ben et Simeonis. Ordinem autem superiorum quem
proposuimus, iste est Diuī Pauli ad Roma. 13. Locus
de Tragoedia est in Antigona:

ἀλλ' ὅπ πόλις σάσδε τοῦδε ζῆν καὶ
καὶ σμικρὰ καὶ δικαιαὶ καὶ τὸν αὐτόν.
Capienda iussa sunt eius quem ciuitas
Voluit potiri rerum, qualia cunque sint,
Seu iusta, seu iustis etiam contraria.

Non quod in scelere et malo obediendum uel pa=
rentibus sit uel Magistratibus: præstat enim obe=
dire Deo quam hominibus, sed ὑπερβολικῶς sum=
mam morigerationem magistratus esse debere, Poë=
ta docere uoluit. De senibus Paulus Timoth. quin=
to, luculente scripsit. Senes hortare tanquam pa=
tres.

EXCOMMUNICATIO) Excomunica
tio significat exclusionem improborū atq; flagicio

PVERILIS DOCTRINA

forūm de Ecclesia. Quod ex Iudei seruare soliti sunt, ut de suo cōtu, quae esset οὐναγωγή, ejacerēt, eos, qui in manifestis peccatis atque peruersitate uitiae aut pertinacia non recte sententiæ, deprehensi essent, qui ἀποοὐναγωγοι nominabantur.

NON OCCIDES.

Huius legis interpretatio est Matth. 5. et paſsim in Prophetis et Psalmis, ut Psal. 56. et 139. Vnde intelligitur, non solum parricidia fāciri, neq; pœnam irrogari fīcarijs tantum diuinitus, sed etiam fontem horum et originem, nempe uoluntatis et consiliorum cruentas conceptiones, et infidiosum propositum, iracundiam, denique omnia de quibus ad facinus et cædem manus commouentur et incitantur. Quod autem diximus, legibus etiam humānis uindicari consilia, intelligendum, has illas esse diuinas et naturales leges, quibus non solum exitus sed etiam conatus puniantur, ab hominibus etiam propositas, ut intellectus hic nequaquam remotus esse videatur. Cicero enim pro Milone sic ait: Nisi forte quia perfecta res non est, non fuit punienda, perinde quasi exitus rerum non hominum consilia legibus uindicentur. Minus dolendum fuit non perfecta re, sed puniendum certe nihilominus. Atque hoc modo etiam leges tam Græcorum quam Românorum diligenter haec distinxerunt, ut non tam factum

Cum quād uoluntatē uiderentur punire. Cum & addunt ēn προνοίας, & Romani, si quis hominis occidendi causa cum telo ambulauerit. Contra, facta etiam ignoscunt interdum, ut cum cædes factas fortunam aut iustum dolorem excusare patiuntur. Ac Diuus Adrianus in hæc uerba rescripsit: In maleficiis uoluntas spectatur, non exitus.

NON MOE CHABERIS.

L. Dixus
ff. ad L.
Corne. de
sic. & Ve.

Omnium ferè gentium adulteria capite sancita fuerunt. Atque hoc ita statuit ratio. Nam cum uir & uxor non iam magis duo sed unum sint, qui uxorem alterius corrumpit, ipsius caput impedit, qua re capitali supplicio est afficiendus. Sed etiam hoc loco intelligemus, fontes huius mali, & illam animi impuritatē, de quibus flagiciatanta prodeunt, legem tollere, & introducere castitatem. De quibus Christus hoc pronunciat, Deū esse uisuros eos, qui essent puro corde. Græcis σωφροσύνη est non solum uirtus pulcherrima, sed etiam nomen. Quis enim est σωφρός? Rectis & integris atque salutari bus sentencij, moderationis, temperantie, abstinentie, præditus. Hæc enim ut rationem sequamur monet, qua obruta & extincta perire hominem necesse est. Vnde & in lingua latina ij perijſe dicuntur, q libidinibus & luxu auferuntur, ut in Plauto: Perijt tibi sodalis. Et rursus: Mibi discipulus, tibi sodalis perijt, huic filius. Nam ego illum perijſe

PVERILIS DOCTRINA

duco, cui quidem perit pudor. Itaque illa in Tragœdia exclamat: Φεῦ φεῦ τὸ σῶφρον ὡς ἀπάνταχθιαλόρ. Hoc loco discite pueri, mirifice displicere Deo uitæ lasciuia & incontinentiam, cuius sunt hæc grandia et horreda peccata, adulterij, et aliarū impuritatū, poene. Nam de sensu aberrante à Deo & moribus prophanis petulantia illa nascitur, & ad summam turpitudinis, nisi resistatur, celeriter peruenit. Resistit autē solet coercendo & frenando cupiditates, & appetitum aberrantem ab honestate retrahendo in uiam uirtutis. Hoc imbecilla ferè ætas puerorum & adolescentiæ non facit. Itaque illos diuina ordinatio parentibus & magistris subiicit, quorum metu & reuerentia cohibeantur. Qui igitur castigationes admiserint, facile conseruantur, hoc est, placent Deo, & illæ curæ sunt in hac uita: qui uero renuntuntur & illas respnuunt, ad interitum, hoc est, corruptionem sue excellentis naturæ feruntur, propterea à Græcis αἰολασοι nominantur. Est autē in hoc omnino maior miseria & calamitas, quam uerbis dici possit. Atq; hoc ipsum deterrimū, q; ut in letifero morbo, sensus mali abest, itaque prius pereunt q; se perire animaduerterint. Quapropter in perpetua lucta est standum nobis aduersus impetus & inuasionses cupiditatū atque libidinū, & locus uirtutis aſſerior paulo hoc suo initio nequaquam deferendus.

Quod

Quod in tota etiam uita quamuis dediti non debent negligere. Itaque D. Paulus dicit se castigare suum corpus, & redigere in seruitutem. Nam tum uiget hoc malum uitiorum omnium licentia, cum cupiditates & libidines, quae sunt annexae ad corpus, regnū obtinent, oppressa ueraratione mentis. Quid aut Prophet a dicit? Nonne Sodomitarū & Gomorātorum hæc scelera fuisse, saturitatem panis & lasciuiam uitæ atq; ocium? Vnde quæ flagicia extiterint, quasque illi poenas dederint, notum est. Pluit enim, inquit, Dominus ignem & sulfur &c. Quare dabimus operam, ut maxime in hac licentia uitæ communis, quo tempore nulla discipline sinceritas reliqua est, & omnia in summa temeritate uersantur, ut nunc igitur maxime in tenera etate uirtutis actionibus & optimarū rerum atq; artiū studijs exerceamur, non solū ne in uoluptatum exiciale baratum incidamus, sed etiā ut hic nobis aliquādo pariat læticiam labos, ut dicit Plautinus senex filio suo. In Capt. Meminerimus igitur semper illorū uersuum Pythagoricorū, quorum sentenciam sibi quisq; subiiciat: Ventriq; & somno moderare libidinibusque, Mox iræ, neque tu quod turpe est feceris unquam Cum multis, solusue, tibique tui pudor obstet. In primis ne contra aliquid ausis decus aut fas. Tū pudeat nos, intelligere & scire & probare etiam honestatem & decus, neque tamen actionibus

PVERILIS DOCTRINA

Iaudabilibus occupari.

Alios torpentes ocio, ut Tragicus ait.

Alios uoluptatem priorem quam decus

Existimantes: quarum genera multa sunt,

Orationes fuitiles & friuolæ.

Deinde ocij atque ignauie gratum malum.

Tum non quidem ille uerus nec bonus pudor &c.

Somno quidē nimium indulgere, cū animotum
alijs rebus, ut Plato ait, contrarium est. Quod etiā
Iepores minime uideant acutum, id putatur absurdum
illorum somno fieri. Crapulæ uero & luxus ac uo-
luptatum omnibus gentibus & seculis probra si-
gularia habita, neque hominum sed brutorum &
bestiarum uitam eos, qui illis dediti essent, degere
creditum. Plato quidem grauiſſimus autor, omni-
umeſſe uoluptatem malorum præcipuā escam ait.
Ab his igitur libertatem nostram aſſeremus, qui
bus maxima hominum pars, id est, stulti & incogi-
tantes omnes, obnoxii ſeruiunt. In primis autem ui-
tabimus atque refugiemus tanquam uenenum con-
ſuetam nostræ nationi ebrietatem, foediſſimū & no-
centiſſimū uitium. Quid enim est in ebrio homine
humanitatis reliquum? Proponat ſibi aliquis ob o-
culos insaniam & amentiam atque furorem illo-
rum, titubationes, lapsus, uolutationes in luto. Deū
immortalē, quis ita leni animo eſſe potest, quin ual-
de iraſcatur: quis ita perditō, quin pudeat illum tan-
te turpi-

χολὴ
τερπνὸς
κακός.

In Timæo.

teturpitudinis etiam admissæ ab alio? Sed o miseriam, nos recordari ferè omnes quid ipsi fecerimus possumus, neque est cur aliorum exemplo, ut Spartani pueri, doceamus. Audite quid grauissimis ueribus dicat uetus Poëta:

Hominem cum uini uis penetravit.

Acriς & inuenas discessit diditus ardor, Lucr. li. 3.

Consequitur grauitas membrorum, præpediuntur

Crura uacillanti, tardescit lingua, madet mens.

Nant oculi, clamor, singultus, iurgia gliscunt.

Aspicite hanc picturam, & contemplamini quām

nihil sit maximæ turpitudinis, quo illa careat. Nihil

autem est certius neque compertius, quām optimas

naturas & ingenia multo magis ebrietate extin-

gui & deleri, quām ullainundatione segetes & ar-

bores euerti atque auferri. Apud Lacedemonios a-

dulterium perpetratum nullum fuisse scribit Plutarc-

hus: hoc bonum de illa seueritate discipline & di-

ligentia educationis extitit. Nam ubi non uiget oc-

cium, ebrietas, crapula, ibi flagiosa uita esse non

poteſt: ibi neque uesperia neque petulantia, non lue-

xus, non libidines usurpantur, que potissimum aliue-

tur crapula & uino. Ideoque & lac Venereum Ari-

stophanes illud uocat. At Rhodij de mollicia & lu-

xu, ebrietate, alea progressi, eò peruererūt impu-

dicicie, ut concubitus matrum familiarū luderent,

quas ad stuprum uictores rapiebant. Que si nō in-

PVERILIS DOCTRINA

Sania est, quid dicam esse nescio. Id etiam mirum, quidnam hoc uitium commendare hominibus potuerit. Suauitas ne? que est potus quidem ex cibi, sed in crapula ex ebrietate nulla. At iucunditas consuetudinis? Quin omnia contra ingrata ex plena odio sunt. Commoditas autem que potest de summa peste expectari? Nam, ut antiquus Comicus fecit:

Perpetua potatio nihil iucundum habet,

Quae uita adhuc durante intelligentiam (est.

Extinguit in homine, quo aliud non maius bonum
At nostri gloriantur ob immanes potationes, maxime si deformitas ebrietatis forte absit. Quid autem illi faciunt aliud, quam boues et asini, qui ex ipsis plurimum bibunt, neque mebriantur. Quod si nihil esset boni in retentum, minus mirarer, cur non fuge retur: nunc in pestilentia nemo est qui libenter maneat, uniuersi cal loca relictis domibus et agris deserere student, in qua illa inuasit: hoc praesens uenenum corporis atque animi etiam appetunt. Amentia hec est igitur, non propositum peccandi. Amētia est et insania maior, quam ullius quem a trahibili corripuit, cuius est tanta interdum uis, ut ardorem mortis et incredibile uitæ odium excitet. Itaque multi cupiunt, iniuisam quam primum abrumperel lucem, atque seruati interdum de media morte ad interitum tamen referuntur. Similiter ebriosi post illa mala, grauedinū, uertiginis, foetoris, obliuionis

nionis, tinnitus, anhelationis, cruciatus artuum, post scabiem, morbum regium, & intercutem, tamen illud ipsum uenenum repetunt, & iterum atque iterum sese illo ingurgitant, audi interitus. Hoc igitur statim & à pueris tantum malum assuescamus odisse execrarique & auersari: Sitque nobis semper in memoria sentencia græci Senarij: πολὺς γὰρ δίονος πόλλα ἀμαρτάνει ποιεῖ. Et usum atque familiaritatem eorum, qui illo obnoxij sunt, tanquam infectorum pestilentie uenoно, fugiamus. Virus enim non magis illud corporibus, quam uitiorum in improbis contagiosum animis est. Itaque diuus P A V L V S multis flagicijs nominatis, qui illis se polluerent, & inter hos etiam ebriosos, uitari iussit, neque socios mense admittere. Dixit enim egregie Theognis, quam sententia Socrates pro doctrina iumentuti proposuit, ut Xenophon scripsit: Κακοῖσι τὸ θάνατον μὲν γὰρ αὐτὸν θάνατον διδάξει, ἃν δὲ συμμίγης, απολαΐς καὶ τὸν θεούτα νοομ.

Quos uersus nos ita reddidimus:

Nam bona discuntur coniunctu usuq; bonorum

Recta sua inficiunt pectora labe mali.

Quapropter in his etiā atq; etiā uestigemus, et amplectamur uolūtate Dei, q; nos à malis et sceleribus, quorum est miseria, dolor, mors, uocat ad bona.

PVERILIS DOCTRINA

virtutem, in quibus est felicitas, gaudium, uita. Et
sciamus, exercitium uirtutis non solum apud ho-
mines, qui quidem reuera homines sint, laudabile,
sed etiam Deo gratum et acceptum esse, et multa
atque pulcherrima præmia de diuina benignitate
obtineat atque consequi.

NON FVRTVM FACIES.

Nunc à corpore et capite lex ad tuendas res et
facultates uniuscuiusq; accedit: quas et ipsas uult
salvas et incolumes tutasque ac illesas. In hoc igi-
ture est tenenda illa regula que traditur à Christo
Matth. 7. et Luce 6. Quod tibi non uis fieri, alteri
ne feceris. Atque hoc etiam ratio recte statuit, que
inter officiorum laudes præcipuas ponit bonitatē,
simplicitatem, ingenuitatem, iusticiam, candorē:
acteturpem esse iudicat uersutiam, fraudes, fallacie-
as, calliditatē, obseuritatē, uafra et ueteratoria
omnia. Quo loco Iurisconsulti ipsi quidē à norma

L. Item.
ff. loc. et
cond.

Legum omnium et Iuris amissi, recta ratione, dis-
cesserunt. Quid enim ait Paulus? Quemadmodum
in emendo et uendendo naturaliter cōcessum est,
quod pluris sit, minoris emere, quod minoris sit plu-
ris uendere, et inuicem se circumscribere, ita et

L. Sciendū in locationibus quoque et conductionibus idem iu-
ff. de edi- ris est. Quid Vlpianus? Sciendum tamen est, que-
ti. ad. dam, et si dixit, prestare eum non debere, scilicet
ea que

ea que ad nudam laudem serui pertinent, ueluti si dixerit frugi, probum, dicto audientem. Non enim boni magistri uirtutis sunt talibus in responsis, neque recte monstrant, cum calliditatem & maliciā instruunt aduersus simplices & bonos. Quare, iterum enim atque iterum que pulchra sunt, recte & utiliter dicuntur, nos hoc teneamus.

Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris.

Neque illa ratione in dictis factisue alter decipiāmus alterum. Sed sint affirmations nostrae & plane & uerae: negationes & ipsae præcise atque directe. Subdola & tacta atque dubia, inductiones, circumscriptiones, leuitas, absit.

NON LOQVERIS CONTRA PROXIMUM &c.

Proximū, ciuem intelligimus, id est, τὸν πλησίον ἢ τὸν πέλας, hoc est nostros. ipsa. n. humanas, id est, coniunctio generis humani, quasi ciuitas quædā est omnium hominū, ut et Christus ostendit exemplo sauciati Samaritani. Assumetis autem & huc ea que dicta sunt à nobis in superiore capite, sinceritatem animi & integritatē iuberi hac lege, & uetari dolos ac fraudulentiam, que in periurio & perfidia in primis conspicua sunt & execrabilia, propterea quod & ius & dextra, quibus fides datur, omnium consensu magnā religionem habent, ut qui sic fallit,

PVERILIS DOCTRINA.

quasi coram ipso Deo fallere videatur. Atque hec
ferè contra eos conuertunt, à quibus usurpantur,
iustissimo Dei iudicio. Quod compertum esse mul-
ta dicta ueterum testantur: Ut quod in nostra gen-
te uetus uerbum est: Un trewo trifit jrn eignen her-
ren, & id quod Latine adduximus, & Hesiodi hoc:
Ἄδε νανὴ βδλὴ τῷ βδλεύσατι νανίσῃ, & hoc-
οι αὐτῷ νανὰ τεύχοις οἵ Λω νανὸτεύχωρ

Quod Plutarchus ita adducere uidetur:
ος δ' αἴλω νανὸτεύχοις νανὸν πάτητεύχοις
Et Lucretius eleganter extulit ad hunc modum:
Circumretit enim uis atque iniuria quemque.
Atque unde exorta est ad eum plerunque reuertit.
Sed in hoc mirifica caligo offusa est naturæ. Ita
enim depravata est uoluntas, ut uim quandam iudi-
cio ueritatis afferat. Atque de origine peccati, que
fuit deceptio & impostura inuidiæ diabolicæ, hi af-
fectus admodum sunt in animis hominum potentes:
Aemulationis, obtrectionis, insidiarum, maleuo-
lentiae, liuoris, fraudulentiae, similitatum, menda-
cij, uanitatis, & huiusmodi alia, que omnia,
tanquam omnium malorum radices,
funditus extirpare omnes pīj
studere debebunt.

Repetita

REPETI-

T A T R A C T A T I O L E G V M .

et expositæ nonnullæ sapientum Graecorum et Latinorum cum singulis congruentes sentencie.

HAEC Igitur CAPITA LEGVM diuinarū diligenter et assiduo debebimus intueri cum animis tum oculis nostris, de his cogitare, in horum sententijs et doctrina exerceri, atque cupidissime dilatare cōmentatione et nostra et aliorum sanctorum, piorū, doctorum hominum. Itaque et legemus libenter ea scripta, quorum est uera et propria appellatio sanctitatis, et uero alia quoque, quorū argumenta explicant harum legum prescripciones, ut sunt multa autorum ueterū lingue graece ac latine. Tum autē audiissime audiemus concionantes de his pios et eruditos presbyteros in coetibus ecclesiasticis: Multū enim illa uiua uox potest, iuxta uetus uerbū, quod negat, qui cōesse Φῶνης ὡς στοιχεῖον εἶπεν. In his omnes, qui boni quocunque tempore habiti sunt, semper omnē operam et attentionē posuere. Quid dicat David supra audistis, meditationē, id est, curā suam esse unicā legem diuinā. Quid idē, cū q̄rit rem perdifficile, quaratiōe in via recta cōsistere, et à prauitate declinare possit ad conscientia. Nōne idē inquit, si custodiāt mādata tua? Hęc

PVERILIS DOCTRINA

nobis igitur non leuiter in auribus resonent, sed ad animum & uoluntatem penetrant. Sciamus Deo placere in pietate et cognitione ueritatis, uitia castam, honestam, ornatam uirtutibus: flagicia fœditatem, sceleram illum abominari. Itaque studiose uoluamus eorum scripta, quicunque ad decus & uirtutem praecipiant, et deterrent a uitijs atque turpitudine. In primis quidem sacros libros, sed & alios optimarum artium atque disciplinarum autores. Si namus perditam adolescentiae partem furere, que cum se quasi opificium quoddam doctrinæ facturam esse constituit, incumbit in unum aliquod studium eorum rerum, que hominum stulticia & errore ualent & magnificiunt, que arripiunt non ut ipsi meliores fiant aut profint reipub. sed ut errorem hominum ipsi pro occasione lucri ac quæstus arripientes adiuuent & cofirment. Nihil dicam amplius, nam est sanè difficilis locus. Hoc dicam, cauendos uobis & uitandos eos, qui ab optimarum artium studijs abhorrent atque refugiunt. Istos inquam bellulos aut etiam feroulos, qui dum uehementer nescio quas magnificas professiones sectantur & appetunt, bonas artes & humanitatis studia negligunt atque contemnunt. Idem neque quid se deceat, neque quid rectum sit, neque quid Deo placeat displiceatur, curant neque laborant, effrenataeque sunt libidini indulgent, ut faciant quodcumque in stultissimum animum insiderit.

ciderit. Itaque uestire, incedere, loqui, non admodum laudabiliter uidemus. Quid autē ego furores et insaniam et fœditatem uitæ commemorem? Eō enim est peruentum miseriae, ut celebres et nobiles isti esse cupiant flagicijs suis. Talis uita existit de ocio et neglectione honestatis. Disputat Cicero copiose, eum qui eloquentiae studeat, luxu libidinibusq; perditū esse non posse. Affert bonā rationē, sed non est minus hoc uerum de toto studio literarum et artium bonarum. Ita enim omnino se res habet, ut si non prodesset illa salutaris subiectio, si non sanctissimae præceptiones, denique diuina et cœlestis uox si parum ualeret ad morum continentiam, saltem illis temporibus, quibus opera in has datur, nihil fieret deterius: occupatio quidē certe uitationem improbitatis complectetur. Quæ dico uobis qui adestis, quo augeam amorem erga optimas artes et disciplinas uestrum. Nolite statim animis efferrī ad nescio quam spem claritatis et excellentiae. Parate iam uobis copias ad gloriam, et eam quidem nequaquam inanem, certas atque firmas. Credite mihi, erit uobis incredibilem in modis dulcis ille labor, quæ impendisse humanitatis studijs aliquando uos recordabimini, non modo quia minus à uobis mali perpetratus, dum lectioni ueterū poetarum et aliorum autorum uacaretis, meminisse poteritis, sed etiā qui atum dulcissimos fructus ferent.

PVERILIS DOCTRINA

Illæ stirpes, quas olim conseruerit uestra diligentia.
Istæ enim iuuentutis demetes uoluptates celerrime
euanescent, sæpe etiam numero desinunt in maxi-
mos dolores. Tum igitur est uobis iucundissimum
futurum, non uestium deformitate indicasse animi
uanitatem, non incessus, orationisque immanitate
barbariem confirmasse, non pernoctasse in lustris
organis, non insaniisse rixando & digladiando,
non alia multa in latebris spurce & flagiciose fe-
cisse: sed cum non minus quam alijs artificium ali-
quod doctrinæ disceretis, dum tamen illi miseri ta-
libus rebus caperentur, uobis moderationem &
temperantiam atque decus curæ fuisse, inuigilasse
libris, hauiisse non ad ebrietatem uinum, sed fumos
lucernæ ad cognitione præceptorum uitæ ac mo-
rum: Non ut gladiatores cum barbaris, sed ut ho-
mines modestos cum suis cupiditatibus dimicauisse.
Non turpitudini denique, sed castitati atque puri-
tati inseruiuisse. Moneo, hortor, doceo uos, ut fide-
lis, ut amans uestri, ut cum magno meo & sempi-
terno dolore, & illius miseriae atque pœnitentiae,
& cum quadam uoluptate huius fœlicitatis & re-
cordationis nō penitus expers. Quorum alterum
enitimini, ut ipſi quale sit experiri possitis: Alte-
rum illud, miseriae inquam & pœnitentie sensum,
credite quam triste & luctuosum sit alijs, uel poti-
us perspicite in istis perditis scelere & improbitat-

te,

te, ipsi uos experiri uelle nolite. Quia uero tanta est prauitas ingenij hominum, ut magis quid non reatum sit perspiciant, cum monentur, quam recte naturam intelligere possint, ideo repetamus breuiter legum explicata decem capita, et quibus maxime modis in illa peccetur exponamus.

CONTRA PRIMVM delinquunt, id pre-
mum, qui diuinitatis naturalem sensum cogitatio-
num peruersitate obruunt et debilitant. Sicut sunt
Epicurei isti, qui aut nunquam de Deo reuerenter
cogitant, aut eludunt cogitationes illas quadam ma-
licia atque calliditate. Hi sceleratissime peccant,
ipsumque cœlum tanquam gigantes immanitate sua
adioriuntur oppugnare. Secundo peccant in hoc ca-
put cultores Deorum multorum, aut unius alieni,
sicut Græci quondam et Iudei, quorum illi multitu-
dine deorum, ipsum numen diuinum ignominia afficie-
bant, et amittebant de uno Deo sentencie uerita-
tem: hi recedentes de præscriptione Verbi diuini,
quamvis unum Deum ore faterentur, tamen alie- *Esaie. 29.*
nis, et abhorrentibus opinionibus atque cultu, si-
mulacra statuebant in cordibus suis. Quod idem
faciunt omnes igitur, quorum sententia de Deo simu-
lata est, qui hypocritæ dicuntur, quod genus mul-
to deterrimum, et uitium pessimum est. Nam occul-
tum et tectum medicatione emendari non po-
test. Qui ita sunt, fingunt quidem (nam non modo:

PVERILIS DOCTRINA

alios sed se quoque s̄apenumero decipiunt) fingunt.
igitur, se esse sanctos, iustos, pios, deniq; beatos, ali
qua virtute, sapientia, inuentione, proposito, factis
suis. In quo figmento acquiescentes ad Deum uerū
quidem respiciunt, sed pro illo simulacra statuunt
animorum suorum, in illius sancto templo, quod po
tissimū sustinetur columnis tribus earum rerum,
quas supra memorarimus: Fidei. Amoris.
Timoris. Hoc uitium et si est occultum, tamē erum
pit tandem in scelera & abominationes Idololat
riæ, sicut omnibus seculis & his nostris temporis
bus accidisse scimus, quibus eò res deuenit, ut postre
mo etiā trunci, stipites, saxa, panni adoraretur, &
hominū animi horribili superstitione cōplerentur.

Tertio peccant uaticinatores Arioli, Magi, de
nique quicunque quacunque in re diuinæ maiestat
is honorem profanant.

Vt autem intelligatur, sentenciam de numine ha
bendo colendoq; in natura inesse, quod Paulus di
xit gentes etiam Deum cognoscere, sed errare in
cultu & ueneratione illius, adducemus descripto
ribus Græcis et Latinis sentencias quasdam, quibus
hoc doceatur, non inutiles ad cognoscendum. So
phocles Electra. ἐστὶ μέγας ἡμὸρφος θεός ἡ φύ^η
πάντα ναι ορατόν. Plaut. Capt. Est profecto
Deus, qui que nos gerimus auditque et uidet. Gras
tissimus autor Plato affirmat, in nomine unq; uitii
uel quicq;

uel quēadmodū ipse uocat, morbū hunc impietatis, non esse Deos, ad senectam usq; perdurare, quamuis iuuenes non paucos corripere soleret. Est autem eximus locus in X. de legib. Itaque accepimus de Bione quodam Philosopho, cum acerrime conuellere studuissest opinionem diuinitatis, ipsum mox in morbo à nullo superstitionisimo cultu diuino abstinuisse. Cicero de Ar. resp. ita: Etenim quis est tam uecors, qui aut cum suspexerit in cœlum, Deos esse non sentiat, & ea quæ tanta mente sunt, ut uix quisquam arte ulla ordinem rerum ac uicissitudinem persequi possit, casu fierit putet? Atque hæc de Aristotelica argumentatione explicat lib.

2. de Nat. Deor. Theognis:

Θεοῖς ἐν χρόνοις δέ τι μέγα πράτος, στέπε αὐτεροθεώμ
γίγνεται αὐθεώποις στέπα γαθοτεκανά.

Protagoras cum ita orsus fuisset de dijs librum suum: De Dijs non possum scire, sint ne illi, an non sint: Multa enim cognitioni obstant, primum rei incertitudo, deinde uitæ breuitas: Propter hoc initium Athenienses exegere illum ciuitate sua, & conquisitos publice libros exurendos curauerunt. Quid Ouidius, qui non grauis autor habetur, de Dijs cecinit?

Nec secura quies illos similiisque sopori

Detinet: innocui uiuite, numen adest.

Pindarus nefariam dicit esse sapientiam, obtre-

PVERILIS DOCTRINA

Etare numini. Olymp. 9. Vetus est oraculum: ζεὺς
αρχὴ, ζεὺς μέσα, διὸς δὲ ἐν πάντα πέλονται.
Apollonius Argo. lib. 2. ζεὺς αὐτὸς ταῦθε πάντα
τὸ πιδέρκεῖαι καὶ δέ μηρανδρες λίθομερέμπεις
δομοῖτε θεόδεες οἵτε δίκαιοι. Quæ incitandistu-
dij uestri causa pauca commemorauimus, ut uos
obseruatione uestra plurima colligeretis.

IN SECUNDVM præceptum peccant de-
ieratores, qui nomen Dei sine causa usurpat: Mul-
to magis blasphemari, periuri, maledici, cum men-
tione diuinitatis. Secundo peccant illi qui proprie-
superstitiosi dicuntur, incantatores, uenefici, qui
sancto & formidabili nomine Dei ad ludibria sua
perstitionis in falsitate persuasionū utuntur. Ter-
tio peccant, qui non colunt Deū ueneratione laudū
& celebrationis: non inuocant illum in miserijs &
calamitatibus, non orant, non ueram doctrinam
de Deo usurpat. Huc assumatur Pindarica sen-
tencia supra indicata: τόγε λοιδορῆσαι θεούς ἐξ
θρᾶ σοφία. Stoici & asseruerunt omni ratione di-
uinitatem, & sapientes docuerunt facere, ut liben-

Laer. li. 7. ter & crebro Deos deprecarentur. ἔνξεται τέ
φασι μόσοφος αἰτόμενος τὰ γαθά παρὰ τῷ
θεῷ. Theocritus luculente Ptolemaeo laudato sic
claudit encomium: ἀρετήμ γε μὲρεν διὸς αἰτεῖ.

IN TEB CIV M peccant neglectores &
molatores

violatores constitutarum feriarum, cærimonialium, rituum in ecclesia, contemptores doctrine, discipline, ordinis ecclesiastici. Non autem obscurum est, quanta religione etiam iij qui falsis religionibus tenerentur, operam dederint diuinis rebus. Itaque et Homerus docet Iliad. i. Diana iratam ob neglecta sacras sua, que celebrare solerent perceptis frugibus, Oenei propè regnum euertisse. Luius quendam Flaccum perditum luxuria, cum pontifex maximus captus esset, ita scribit repente exuisse antiquos mores, conuerso animo ad curam sacerorum & cærimoniarum, ut nemo tota iuuentute prior haberetur. Demosthenes Timocratem vehementer exagitat, qui ferijs legem pertulerit. Romanis festos dies summa religione colebant, iuris & litibus abstinentes, unde fauere linguis & ore prece omnes iubebat. Quæ omnia non eo intellectu sunt accipienda, quasi falsis religionibus patriconemur: sed ut religionis sensus & iudicium naturæ esse intelligamus, non opinionis. Errores autem in hoc & superstitiones, propositi & corruptæ uuntatis.

SECUNDÆ TABVLÆ Præcepta iam ad homines & uitam illorum inter ipsos pertinent.

PRIMVM PRÆCEPTVM Violantij, qui parentes cötumelia doloréue afficiunt, inobedientes, responsatores, improbi. Qui non eos

PVERILIS DOCTRINA

dem amant, uenerantur, adiuuant, ornant pro ui-
ribus suis. Hæc enim illa est σογὴ φυσικὴ liberum
erga parentes, nō minus quam parentum erga hos.
Quæ si non est, inquit Cicero, nulla potest homini
esse ad hominem naturæ adiunctio, qua sublata ui-
ta societas tollitur. Item peccant, quicunq; non
obseruant, colunt, audiunt magistratus & pote-
states, sediciosi, turbulenti, inquieti. Item qui re-
fragantur suis, qui parentum loco sint. Item qui
imperium detrectant magistrorum aut domino-
rum suorum. Denique omnis inobedientia &
repugnatio aduersus superiores huc referenda. Si-
militer, omnis neglectio & infamatio atque no-
xia erga eos, quos colere, honorare, adiuuare, præ
reliquis deberemus. Omnium literæ hanc naturæ
legem celebrant. Cicero de Ar. resp. Parentibus &
Dijs immortalibus & patriæ nos primum naturæ
conciliat. Idem 4. de finib. de Peripateticorum di-
sciplinasic ait: Primum ex omnibus Philosophis
à natura tributum esse docuerunt, ut hi qui procrea-
ti essent, à procreatoribus amarentur. Itaque Solon
ita: ἐάπ τις μὴ τρέφη γονέας, ἀτίμος εἴσω. Idem
de cæde parentum ne tulit quidem legem, quod ne-
minem ad hunc modum contra naturam insanitu-
rum esse putaret. Persas etiam affirmare, scripsit
Herodotus, neminem unquam suum parentem in-
teremisse, sed si forte hoc creditum sit, comperiri
postea

postea, non filium parricidam, sed subditicium & alieni sanguinis fuisse. Quare dementem Cynicum non audiemos, latrantem contra naturæ iudicium, non esse colendos parentes, ac potius diuinæ uoci resonanti in animis nostris libenter parebimus atque obsequemur. De magistratibus autem Homerus preclare canit, diuinitus illos constitui: οἱ τε θέμις τας πρὸς δίος εἰρήναται. Οὐκοπῆχος βασιλεὺς ὁ τε λευκός κύδος ἐδωκεν. Sophocles in Aiace. Πλάναρι τὸν ἑαθλὸν αὐδρά χρὴ τῷ μὲν τέλει. Scripsitque hoc preclare Aristoteles. Φανερὸμ ὡς ἔατέομενιας ἀμαρτίας ηγήτῳ νομοθετῷ μητῷ αρχόντῳ, οὐ γαρ τοσχάτῳ ὥφεληθόει ταινίης, οὔσορ βλαβερέται τοῖς αρχόσιν απόθετος θεοῖς. Itaque manifestum est, dissimilanda esse pleraque errata, tam legislatorum quam magistratum. Non enim tantum boni poterit esse in correptione horum, quantum est mali in consuetudine detrectandi magistratum imperia.

SECUNDVM.

Peccant in hoc homicide, insidiatores alienæ uitæ & capitis, atque fame, que bonis saepe uita charior est. Virulenti obtrectatores, cruenti delatores, inuidi. Hi enim omnes animis & uoluntate homicidae sunt. Vnde et hoc genus hominū in Graeca lingua depingitur nominibus significantibus cæ-

PVERILIS DOCTRINA

des: dicuntur enim κύροι, θηριώδεις, à similitudine ferarum bestiarum, que sanguine aliorum uictant, εἰς γέμοντες, εἰς scorpij, qui que speculentur, qua quibus parte aculeos infligere possint. De Eurip. An inuidis autem egregie Tragicus: Αἴθρος, οὐρανος, άλκησις ο φθόνος.

TER CIV M.

Peccant contra hoc preceptum omnes impuritatemque flagiosi. Expugnatio quidem castitatis eius, que cum alio nupta sit, propter multitudinem peccatorum, multo sceleratissima putanda. Hoc enim furtum est εἰς quidem rei charissimae. Hæc est diruptionis societatis humanae, quam naturæ sensus maxime continet, εἰς is, ut diximus supra, maxime intelligenti potest de ea, que σογγὴ φυσικὴ dicitur, que esse nisi in matrimonij sanctitate non potest. Itaque de hoc scelere quantum atrocissimorum eventuum sepe existere solebat uidemus: Ferrum, laquei, uenena excitantur. Violatur enim uon hominum constitutio, sed naturæ ipsius coniunctio. Nam εἰς Peripatetici, ut Cicero ait, coniugia virorum εἰς uxorum natura coniuncta esse dixerunt. Et leges impune occidi adulterum statuunt, non secus atque insidiator rem uel oppugnatorem potius capit is εἰς salutis nostra. Sed de hoc ante dictum est, utinam quidem tam utiliter quam copiose.

Quartum

Q V A R T U M.

In hoc delinquent alienorum subtractores ac raptiores, fraudulenti, callidi, uersuti, circumscriptores, cauillatores, improbi, euersores iuris. Quo loco est hoc memorabile Catonis: Furtum ueteres puniisse duplo, fœnatores quadruplo. Sed ex hoc delictum se ulciscitur. Quia ut uetus uerbum est, male parta male dilabuntur, et egregie dixit Sophocles hoc:

Ἐν τῷ γὰρ ἀιχρῷ λημμάτῳ τὸς πλείονας In Antigo
ἐτῶ μέσσι οἱ οἱ ἀμήσεσσι σεωσμένοις. Ethic: 114.

Ταῦθινα κέρδη πημονὰς ἐργάζεται.

Q V I N T U M.

Quantū lingua nocere possit, declarare uoluere Greci, cū sic fecere: γλῶσσα ποι πορένη; πόλιμενα γένεται. Vanitas autem est indignissima homini res, maxime si se ad oppugnandum ciuum fortunas et capita incitat atque proferat. De mendacio autem et ueritate egregia est sententia posita in septimo expeditionis Cyri apud Xenoph. ut nos sumus interpretati: Video. n. orationem uanitatis esse leuem, nulloque cum pondere ac honore temere uagari. Eorum autem, quos compertum sit ueritati studere, si quid forte efficere uelint, non uerba minus ualent, quam in aliis uis. In castigando quoque non tam aliorum supplicia, quam horum minex efficaces sunt. Denique isti promissione tantum obtinent, quam alii largiendo.

PVERILIS DOCTRINA

Quare constantie & ueritati operam dabimus, et
a deformitate mentiendi ac fallendi longissime ab-
ducemus uoluntatem nostram, ut omni ex parte le-
gis satisfacere possumus. Contra hoc præceptum pec-
catur & suspicionibus, cum animis nostris sinistre
& in pessimam partem aliorum facta & dicta, sae-
pe etiam nutus & gestus, interpretamur. Quæ est
summa animorum leuitas atque etiam peruersitas.
Nam hoc ipso se quisq; prius accusat, qd alterū con-
demnet. Quomodo enim possum suspicari male de
alio quicq;, quod non existat de mee improbitatis
quasi anticipatione? Ergo quæ quisq; suspicatur, ne
cessit aut ipsa ante aliquando fecerit, aut forte fa-
cturus ipse etiā sibi esse uideatur. Coērcebimus igi-
tur hūc ueluti cursum maleuolētiae et amaritudinis
neq; indulgebimus suspicionibus nostris, quæ falsa
testimonia dicant in animis de ciubus nostris. Neq;
dociles nos prehebimus doctrinæ quorundam, qui
simpliciter negant, cuiquam fidendum, & uersu-
tia atq; uanitate bonū prudentie & grauitatis præ-
ceptum deprauat. Neq; placebit nimium nobis V=
lysses Homericus, quem sapientissimum intelligi uo-
lunt, mendaciorum & fraudulentie laudibus ma-
gnificus, quibus certe nihil esset non solum opus, sed
etiā inuisius & odiosius naturæ incorruptæ, quam
pij quasi sarcire, iubente & adiuuante numine diui-
no, studebūt, neq; in his discendis, floribus austrum
peruersi

peruersi & liquidis immittet fontibus apos, den
mandarffnit leius in peltz setzen.

SEXTV M E T S E P T I M V M.

Hoc ultimo capite concluditur decalogus, quod diuiserunt in duo, ut numerus denarius perficere= tur. Coniunguntur autem in Mose omnes cupiditates, que sane eiusdem sunt modi ac generis. Itaque uni= uersæ damnantur, illa ui nature et iudicio recti, secundum quod et hoc est à Iuuenable dictum:

Exemplo quodcunque malo committitur ipsi Displacet auctori, prima est hæc ultio, quod se Iudice nemo nocens absolvitur.

Atque hæc est incredibilis illa uis conscientia, non solum perpetratis cogitati etiam facinoris, qua nocentium animi in maximis tenebris et ignorantie aliorum agitantur atque perterrentur, Deo in pso nimirum querente et disceptante. Hoc intellectu uerissime Plato differuit, neminem esse sua sponte malū. Nam et D. Paulus negat probari sibi malefacta sua, ac Plato laudat uersum hunc:

Ἐδεῖς ἐνῷμ πονηρὸς ἐδάνῳ μάναρ.

Quem alio intellectu, ut apparet, impugnat Ari= stoteles. Sed de cupiditatibus dicamus amplius. Cu= piditates autem esse fontem malorum omnium, di= citur et Græco uersu.

πάντωμ μὲν πρώτισα κακῶμ ἐπιθυμίκ. ἔστι.

PVERILIS DOCTRINA

Atq; he mirificas turbas dant in animis hominū, deprauata peccato uoluntate. Est enim uoluptatis & doloris & metus & ægritudinis malum corrumpæ naturæ. Atq; est in hoc pijs maxime euidentis miseria hominum. Non enim possunt nō uelle & concupiscere, id quod iudicio suo prauū & improbum esse ipsi statuunt. Est autem hoc ipsum diuinū quidam, insitum etiam malis, ut Plato ait, ut hi cum existimatione tum oratione sua optime distinguant bona à malis. Et ait Medea apud Ouidium:

Video meliora proboque

Deteriora sequor.

Mali igitur sunt non modo qui faciunt, sed etiam qui uolunt facere malū. Et cupiditas est malū, cum animus aliena contrectet, aut turpitudinem concipiatur. Ergo omnes homines peccatores sunt: nemo enim concupiscentia uacat. Plato in nono libro de legibus sic ait: Scientiæ nulla præstat lex neque disciplina, neque fas est mentem subiici aut seruire ulli, sed ipsam potius dominam esse omnium, siquidem hæc syncera et uere libera secundum naturam fuerit. Nunc uero est nequaquam in ullo, nisi ualde parum. Itaque restat, ut quod proximum est, disciplina & legibus regamur. Videtis quiddam illuxiſſe & ueteribus sapientibus Graecorum de eo, quod nunc differimus: Imbecillitatē naturæ maximam esse, & corruptam integratatem huius, ut homine nihil

nihil sit miserius, quamvis et causarum et curati-
onum ueritatem ignorauerint. Hæc enim sunt plan-
næ mystica, et illa Christiana arcana Euangelij:
Uniuersos esse peccatores, ut ne quis nisi per mis-
ericordiam Dei et Christi merita saluus fieri posset.
Conclusit, inquit Paulus, omnes sub peccato, ut om-
nium misereretur. Nō est enim tanta dexteritas ne
que efficacia humana rerum uirium, ut emendare hoc
notum, addo etiam, iniuisum malum cupiditatū, et
herentia uitia in depravata natura, primum impie-
tatis deinde inhumanitatis et malicie, deniq; om-
nium scelerum et flagiorum fontes, ut obstruere
posset. Prauū est enim etiam cor hominis, ut inquit
Ieremias: et idem, damnans improborum ^{alio} Cap. 17.
THTA, hoc est, propbanitatē, sic illos loquentes in-
troducit: Qui dixerunt, desperauimus, post cogita-
tiones enim nostras ibimus, et unusquisq; prauitā-
tem cordis nostri mali exequemur. Item ca. 11. Abi-
uerunt unusquisq; in prauitate cordis sui mali. Hoc
enim fit certe, si diuina cesset succursio, et auxilium
cœleste subtrahatur. Quāuis aut hæc aliorū cogni-
tionē, dū cōcipiuntur et adhuc intus latent, effugi-
ant, tamē se quisq; teste et iudice in his condēnatur.
Quid igitur nūc fiet? Via queritur scilicet et ratio,
qua uiteetur interitus: Vita q̄ritur: Veritas in his re-
bus queritur. Audiamus Christū: Ego sum uia, ueri-
tas et uita. Itaq; nūc, ut ordo monet, de Euangeliō
dicem.

PVERILIS DOCTRINA

SYMBOLI A POST.) Symbolum Apostolicum sentimus formulam fidei expositæ in Niceno consilio, expressam de doctrina et scriptis quoque Apostolorum. Hæc est diuinarū rerum història quedam: Nam cum Dei diuinitatisque sæpe mentio fiat, cumq; nobis natura nomen et numen Dei demonstret, queri amplius necesse est sentenciam de Deo firmam ac immobilem, qua illum et cognoscamus, et de ipso constituamus animo nostro ueritatis intelligentiam: quod nisi factum fuerit, in cogitationum scilicet incertitudine atq; fluctibus, nunquam adorare eum quem ignoramus, nunquam colere de quo perspectum nihil est, nunq; opem auxiliisque implorare poterimus, illius, cuius uoluntas, uel qui ipse potius nobis ignotus est. Verum quia tanta est maiestas diuina, ut comprehendendi nullus animo possit, quippe quam ne hic quidem mundus includat, ideo notiones et signa illius querenda, quibus apprehendere et retinere cognitionem illius possumus: Quæ non quidem nos fingamus, sic enim tantum dubia essent, sed que ab ipso Deo demonstrata et prolata accipiamus. Hæc autem eadem fere semper fuere et nunc sunt, misericordiae et redemptionis illius. Sed Iudeis se explicuit mentione miraculorum, quibus illis innotuisset potentia et maiestas ipsius, declarata uictis, fusis, occisis hostibus eorum. Itaque sic prescribitur erga illos autoritas:

ritas: Q VI TE eduxi de terra Aegypti. Et,
D E V S exercituum. Nobis autem uno insigne be-
neficio nunc dato et collato, promisso quidem pri-
mis temporibus, innotescit et cognoscitur, quia mi-
serit iam saluatorem mundi, et ita dilexerit huma-
num genus, ut pro salute et conseruatione illius, ne
periret, unigenitum suum filium traderet. Itaque nobis
D E V S est PATER DOMINI NOSTRI
I E S V C H R I S T I, S A N C T I F I C A N S corda
nostra S A N C T O S P I R I T U per fidem. Hæc i-
gitur, ut diximus, doctrina breuiter et luculente
explicatur his capitibus, quæ S A N C T A E F L
D E I et sunt et nominantur, conseruata eximio
beneficio et admirabili benignitate in terris ad
huncusque diem, ab innumerabilibus copijs et stu-
dijs maximorum oppugnatorum et labefactato-
rum. De quibus singillatim illa repetendo, nunc de
inceps communicabimus uobiscam commentatio-
nes nostras.

Habent autem se ad hunc modum: Præscriptio
generalis est: C R E D O I N D E V M V N V M.
Divinitatis enim natura unitate et simplicitate et
eternitate Regni, et Imperij Maiestate, constitu-
enda est in animis nostris. Quæ et si non perspicere
plane, qualia sint, tamē de his cogitare aliquid pos-
sumus. Hæc autem cōmuniſ notio distinguenda est
proprietatibus ſive personis tribus, quæ diſtinctas

PVERILIS DOCTRINA

revera, non cogitatione tantum esse intelligantur:
Ut sit per se Deus pater, per se Deus filius, per se De
us spiritus sanctus, & tamen non nisi Deus unus.
Hoc est illud admirabile, quod explicari & perspi-
ci nequit: fidei igitur & assensionis hoc opus est.
Hæc aut̄ distinctio est talis: Dei patris est æterni-
tas, sine ullo respectu originis aut generatiois, qua
esse coepit. Sed Deum filium, nō quidem creatum
sed natum sine initio credimus, ut coæternus cū pa-
tre intelligatur. Deus aut̄ sanctus spiritus neq; fa-
etus neq; natus, sed ab æternitate procedens de pa-
tre & filio. Hæc nos debemus religiose audire et ad-
dorare, neque uelle perscrutari nostrarum cogi-
tationum sapientia.

Sequitur distinctio quædam tanquam offici-
orum seu effectiōnum. Nam DEI P A T R I S
est creatio & conseruatio omnium creatorum, uel
potius perpetua in creatione actio, ut Christus di-
cit: Pater meus adhuc operatur: ne quis illum perse-
cto mundo ociosum esse coepisse existimet. DEI
F I L I I est redemptio generis humani, qui & huma-
nam naturā assumpsit, ut unus Iesu Christus fuerit
Deus & homo: Sic enim Paulus ait, in illo habitare
diuinitatem corporaliter. Atque hoc est redemptio
nis & salutis nostræ παραδοξοῦ & μυστηρίου, ut
ait Paulus ad Timotheum: Deus apparuit in car-
ne &c. Hic & in terris versatus est uero corpo-
re, &

re, & docuit ac prædicauit Euangelium, & Iude
is proditus, ad Hierosolymitanum prætorem de-
ductus, & ab illo excruciatus & damnatus est, af-
fectusque suppicio crucis. Et resurrexit tercia
die, cum ad inferos descendisset, ascenditque ad cœ
los, & sedet ad dextram patris. Sic enim dicit Pau
lus, se prædicare CHRISTVM crucifixum, &
CHRISTVM resurrexisse, neque magis mori.
Eundem sedere ad dextram Dei in cœlis, scribit
Colossensibus, atque etiam alibi. Hæc autem nobis
proponuntur ad fidem iusticiæ, & ad salutem, ad
remissionem peccatorum & spem uitæ sempiter-
næ, iuxta hæc: Qui prædestinavit nos filios ad o
ptiuos per IE SVM CHRISTVM in se, sicut
ipsius bona uoluntas fuit, ad laudem glorie gratiæ
sue, qua nos gratiosos reddidit in dilecto, in quo ha-
bemus redemptionem per sanguinem ipsius, re-
missionem peccatorum, secundum diuitias gratiæ
eius, qua copiosus fuit erga nos omni sapientia &
intelligentia, declarato nobis mysterio uoluntati
sue, pro beneplacito suo, proposuit fibi ad dispen-
sationem plenitudinis temporum, consummare u-
niuersa in Christo, tam cœlestia quam terrena in
ipso, in quo etiam nos sorte lecti sumus &c. Neque
est alia spes proposita salutis, neq; nomen ullū præ-
ter hoc, quod sequi in appetitione regni cœlestis
& expectatione uitæ sempiternæ possimus. Qæ

1. Cor. 1.

Roma. 6.

PVERILIS DOCTRINA

est, ut ipse ait Christus, cognosse patrem, & quem ille misit Iesum Christum, id est, salutarem Regem. Qui autem filium uidet, is uidet & patrem. Non enim nouit illum quisque nisi filius, & cui hic ostendere uoluerit. Quapropter fide maxima & tota mente incumbemus, & applicabimus nostram omnem spem atque fiduciā, & uniuersam rationem salutis cōmitemus huic Christo, in quo adhaerentes, uel cum quo potius coniunctos, nihil est omnium rerum malorum, quod inuisos Deo nos reddere ualeat, ut disputatione Paulus Romanis scribens. Cum hoc iusti, innocentes, sancti, denique beati & immortales futuri sumus. Hanc autem fidem & tot honorum spem exercitat & fouet in cordibus credentium spiritus sanctus Deus. Idem autor omnium bonorum & munerum, quae diuinitus conferuntur hominibus, missus ad consolandum, instruendum, defendendum, ad patrocinium & aduocationem piorum, unde & πάτερ οὐτος uocatur. Haec autem doctrina & usus illius in ecclesia exerceatur: sic enim nominatur coetus & cōuentus credentium Christo, seu fidelium. Et ea quidem catholica, id est, integra & uniuersalis, ut conuenticula sectarum, quae hereses nuncominatur, exclusa esse intelligamus. Itaque D. Paulus sic ait, Timotheo scribens: Ut scias, quomodo ostenteat te in domo Dei uersari, quae est Ecclesia, columna & firmamentum ueritatis. In hac enim proponitur

DE CHRISTIANA VITA.

57

ponitur et cōfertur remissio peccatorū in terris, id est, q̄ benignus et propicius Deus sit in hac uita, et est sanctorū omnium cōmune quoddam. Et mortuus resurrectio, inq̄ ueitam reuersio promittitur, omninoq; sempiteritas post mortem, qua piij et fideles fruantur cū Christo in cœlis, impij et infideles affligantur in igne perpetuo flagrante.

DE SACRAMENTIS.

Omnino intelligendum, hanc distinctionem à nobis proponit tantummodo docendi causa, non quod nouitatem aliquam introducere, sed ut rem, de qua loquimur, à pueris melius intelligi et certius perspici uelimus. Quod autem publica ea uocauimus, que essent ministerij ecclastici, ita est accipendum, non oportere hec temere quasi extraordinaria functione aut peculiari quadam autoritate gerri. Nam si intra domos, ita re poscente, aut absoluuntur confitens peccata sua, aut corpus et sanguinem Christi sumit, administrante presbytero, aut eo cuius est in ecclesia functio, res publice geritur non priuatim. Sed et necessitas permittit priuatū usum omni tempore atque loco, ut auditum est.

DE ABSOLVTIONE.

Absolutio est duplex: Nam et generaliter absolvuntur audientes Euangeliū, credentes huic, quod est uerbū remissionis peccatorū. Specialiter autem sue unique peccata remittuntur, uel occulta uel manife-

PVERILIS DOCTRINA

sta, cōfidenti. Manifestorum quondam publica pœnitentia postea censoriarum nomine dicta fuit. Et Christus ipse specialiter absoluit, cū alios, tum mulierē peccatricem, plorantē ad pedes suos. Est autē signum confessio uerisens peccati, & cordis perterriti conscientia perpetratorum facinorū. Quæ saluberrimares turpissimis superstitionibus polluta est, quaestamen ipsas salutarem illius usum nobis eripere non sinemus.

DE EVCHARISTIA.

Hoc loco, ut in omnibus fidei articulis, sapientiam et rationem humanam iubebimus eum honorē habere Verbo Dei, ut sileat. Habemus igitur Verbum, hoc teneamus, huic credamus, ipsi permittamus totam rem, & tantum scire uelimus, quantum illie loqui uisum. Credamus igitur esse uerum, quod dixit Christus, panē esse corpus, uinū sanguinem, & ueritati libenter et religiose assentiamur, discamusque non contendere, neque disceptando profanare sanctissimas res, sed usum illarum cognoscere atque exercere.

DE CRUCE.

Omnino assuescemus, non interpretari in partem ire & indignationis aduersas res, neque ueniat nobis in afflictionibus in mentem, quantum malissimus meriti, neque ulcisci Deum atque punire tanquam infestum nobis scelera et flagicia nostra, sed esse

esse quidem hæc peccati damna et poenas, nobis tamen nō magis ab irato Deo immitti, quam grauis simas et immensas afflictiones, quas sustinuit charissimus & dilectissimus filius illius. Omnino autē est periculi & discriminis plena uita, que in perpetuis degitur bonae fortunæ successibus, ut exemplum Polycratis Samij Tyranni docet. Et est omnino uoluntas Dei, ut castigemur & affligamur, cum in tota uita, tum in etate leuiore, imbecillibas adhuc animis. Itaque uos pueri & uerborū & uerberum correptiones & quo animo pati à magistris debetis, tanquam ministris uoluntatis diuine, & delictis uestrīs, non castigatoribus, quasi illi uos oderint, irasci. Quid enim ait Solomon, ut nos quidē fecimus? Qui non castigas petulantes uerbere natos

Ca. 13.

Quid mihi dicas? amo. Vere amor hic odiū est.

Stulticia est tenerē nunquam non insitamenti,

Et alibi.

Vis hac corda uacent: exime uerberibus.

Ca. 22.

Quisquis amas, age, perget tuū uel uerbere natum,

Cap. 23.

Corripere, instantem res fugat istanecem.

Si bene pulsaris uitam, immineat licet orco,

Eripies, tantum stirpe a virga potest.

Nihil his opus, nullusq; locus erat, si non peccaretur, nunc quia multū & assiduo peccatur, multum his & assiduo opus & ubique locus est.

DE BONIS OPERIBVS.

Vtinam iam tandem minus esset disputationum

PVERILIS DOCTRINA

Siquidē dignus esset qui exaudiretur, sic demū ut im
petraret quod petebat, nō est hoc cōueniens Christi
anē doctrinæ, in qua gratuita est remissio peccato-
rum, et omnia beneficia diuina sunt misericordie.

Q VIA TVVM EST REGNVM.

Quæ est gloria opinione hominū p̄e diuina glo-
ria non dedecus? Valeant Reges, potentes, nobiles,
qui ab hoc glorioso Deo recedunt, uel qui illi aduer-
santur, & fideles oppugnant. Nos autem sciamus,
esse in cœlis qui sine fine regnet, qui pos̄it omnia,
cuius gloria totum mundum illustret. Hęc est illa,
quæ, ut Paulus ait, inconspectam uirtutem diuini-
tatis operibus illius declarauit. Tollamus oculos in
cœlum, aspiciamus solem, lunam, stellas, iam per
fundemur lumine gloriæ illius. O infelices, qui tū
quoq; non agnoscet autorē & regem illorū, neq;
propriā gloriam Deo tribuēt. In perditū. n. sensum
ruent, ut D. Paulus docuit, & supplicijs horrendis
impietatis afficiēt. Quod extremū malum malo-
rū omniū auertat à nobis, quē adoramus, Deus cœ-
lestis pater Domini nostri Iesu Christi & noster A-

Habetis à nobis dictata Christianismi, (men.
& puerilē quandam pietatis doctrinā. In qua si uos
multum & diligenter exercueritis, nō uereor ne
uos pœnitentia studij uestri. Collegimus. n. ea, q-
bus animi rudes ad Christianismum institui possent
simpliciter, nihil inculcauimus alienum, nouitatem

etiam

etiam nō necessariā uitā uimus. Hęc enim nō habet
locum in eo genere doctrine, quod est praeceptorū
& instructionis uite atq; morum. Nam uetusissimi
hoc modi optimū est, neq; ulla uirtuti aptior oratio
quām cōmuniſ omnium. Quid ego autem dicam de
Christianismo: cuius tota ratio non humana sapien-
tia cōſtat, sed diuinitus ostenditur. Multi affectan-
tes famam singularis intelligentiæ , nunc mirifi-
cis uerbis & sentencij abhorrentibus explicare
student fidē & Christianam pietatem: non nullis ea
tantū placent, que ipsi peperisse sibi uidentur, neq;
aliunde quicq; sumūt quod usurpent nisi prius muta-
tū. Qui utriq; faciunt periculoſe: nā & illi ſepe ab-
ſurditate expositionis ueritatē rerum obſcurat atq;
ſubuertunt: hi aliorū uerißima tradita plerunque
deprauant, tum uero pernicioſos ſepe de rebus mi-
niuiffi. tumultus excitant. Quod si cogitarent, q; &
ſcelerata & abominabilis res fit commotio & of-
fensio in religione animorū, profecto cauerent, ne
uel ipsi ullarū turbarum autores fuiffe, uel mutatio-
nū importunitate, honorū mentes perturbasse exi-
ſtimaretur. Sed nos cogitemus in his difficultimis tē-
poribus de ſe quisq; atq; ſentientes recte & uiuen-
tes laudabiliter, pietate fidei, et actionum bonitate
Deo ſatisfaciamus, in persuasione misericordiæ
& gratiæ illius per IE SVM C H R I S T V M , in
quo ſemper acquiescemus, cui adhærebimus, huius
capitis membra. Diximus autē primum de ipſa do-

PVERILIS DOCTRINA

Errina fidei generaliter. Postea leges tractauimus,
 ut poenitentia excitaretur, fractisque & contritis
 animis adhiberetur apta medicina Euangeli. Di-
 ximus & de quibusdam operibus consecratis pe-
 culiariter Verbo Dei, que sanè omnia sacramenti
 nomine appellauimus, in quibus & de ijs que ho-
 na opera uocant, & de oratione prolixius differui-
 mus. Hec uos qui audiuitis nolite contemnere, sed
 cū ipsa doctrinæ ueritas, tum ordo uobis gratus sit.
 Videtis. n. q̄ multi paſsim in religione Christiana
 errores ferantur, q̄ omnis ratio illius confundatur.
 Inter hæc optimarū artium atq; humanitatis studia
 colite, neque stultorum hominum uel imperitia uel
 peruersitas ab illis uos abstrahat. Sinite dementes
 alio properare, ferte contemnere illos hæc atq; ir-
 ridere, credite mihi, maximū est suppliciū hæc ani-
 mi cæcitas in tanta luce diuinorum beneficiorum:
 sed ipsi etiam sentient in sera recordatione amissæ
 fælicitatis suæ, & perpetuo dolore animi ob negle-
 cit bona. Verum satis uel nimium potius uerborum
 est, quare finem faciam, & ad ea quæ audi-
 stis, rebus exprimenda, ad agendum,
 ad faciendum, ad experien-
 dum uos dimittam.

Non locutores sed executores
 legis iusti sunt.

F I N I S.



